viris, ea faciat quæ veritati, & pietati consentanea judicaverit; ideò formulam facultatis assumendi informationes de veritate miraculorum hic inserere operæpretium duxi, in hunc qui sequitur modum.

FORMULA LXXXI.

Facultatis assumendi informationes de veritate miraculorum.

D. Rodericus Dei, & Apostolicæ Sedis gratiâ Archiepiscopus ac Dominus Bracharæ, Hispaniarumque Primas, &c. dilectis nostris in CHRISTO Reverendis N.N. & N. Salutem in Domino. Cùm ad nostras devenerit aures, in oppido N. nostræ Bracharensis diœcesis, ad imaginem Beatissimæ Virginis Mariæ de N. nuncupatæ, à nonnullis diebus citra magnum fieri concursum populi, sub eo prætextu quod aliquot ibi edita fuerint, & in dies edantur miracula; volentes ea qua possumus diligentia & solicitudine, quemadmodum ex S. Concilij Tridentini decreto tenemur, de ipsorum miraculorum veritate inquirere, vobis de quorum solertia, pietate, & fide plurimùm confidimus, committimus, & mandamus, ut ad locum suprascriptum accedatis, & assumpto vobiscum aliquo Notario, omni diligentia, & indagine de præmissis informationes assumatis, & ad nos referatis, ut quid deinceps sentiendum sit, cum Theologorum, & aliorum piorum virorum consilio deliberare valeamus. Dantes vobis harum serie facultatem quascumque cujusvis gradus, & conditionis personas ad perhibendum super præmissis veritatis testimonium, omnibus remediis de jure opportunis cogendi, ac interim etiam populi concursum, quatenus vobis expedire videatur, etiam per censuras Ecclesiasticas prohibendi, ac reprimendi, aliaque faciendi, gerendi, & exequendi, quæ in præmissis, & circa ea necessaria fuerint, seu quomodolibet opportuna. In quorum fidem, &c. Dat. Bracharæ Augustæ die.... Mens.... Ann....

FORMULA LXXXII.

Attestationis paupertatis pro iis, qui ob illam in Romana Curia dispensationem Matrimonialem impetrare intendunt.

NOs N. Vicarius Generalis pro illustrissimo & Reverendissimo Domino D. Roderico à Cunha Archiepiscopo ac Domino Bracharæ Augustæ, Hispaniarumque Primate, &c. Notum facimus, & attestamur, nobis constare per testes fide dignos, ac judicialiter examinatos, N. & N. hujus nostræ diœcesis esse pauperes, & miserabiles, suaque industria, ac labore quotidiano victum quærere, & hac de causa dictum N. non posse accedere ad Curiam Romanam, & pro veritate, & ad instantiam dictorum præsentes manu nostra firmatas, ac sigillo quo in similibus utimur, munitas fieri jussimus. Dat. Bracharæ Augustæ die... Mens... Ann... Ego N. Notarius Apostolicus subscripsi.

FORMULA LXXXIII.

Facultatis profanandi Ecclesiam ratione unionis faciendæ.

D. Rodericus, &c. Dilecto nobis in CHRISTO Reverendo N... Salutem in Domino. His nostris Litteris, tam auctoritate nostra Ordinaria, quàm etiam vigore Sacri Concilij Tridentini, aliarúmque facultatum Apost. nobis desuper concessarum, aliasque omni meliori modo, jure, via, causa, & forma quibus meliùs, & validiùs possumus, licentiam, & facultatem tibi concedimus profanandi Ecclesiam S.N. Monasterij N. per nos superioribus diebus suppressi, ad effectum, ut hæc quoque Ecclesia incorporari possit aliis dicti Monasterij ædibus, cum licentia & decreto nostro nuper N. per N. venditis, omnimodasque vices nostras tibi in præmissis, & circa præmissa committimus, & delegamus. In quorum fidem, &c.

FORMULA LXXXIV.

Assensus donationis jurispatronatus.

D. Rodericus, &c. Assentimur, & assensum præstamus donationi jurispatronatus factæ per Magnificum N. constito jam nobis ex actis nostræ Curiæ, prædictum N. donantem tempore donationis fuisse legitimum patronum jurispatronatus, ut suprà donati, salvis tamen juribus tertij, si tempore datæ alteri legitimè jus quæsitum fuerit, &c. In quorum fidem, &c. Dat. &c.

FORMULA LXXXV.

Facultatis construendi Oratorium simplex, in quo celebretur.

D. Rodericus, &c. Dilecto nobis in CHRISTO, N. loci N. hujus nostræ diœcesis, Salutem in Domino. Tuo desiderio annuentes, ut in eo loco oratorium sub invocatione sancti N. cum unico altari, super quo celebrari exinde possit, exstruere valeas, quod situm & alia requisita habeat ad præscriptum instructionis fabricæ Ecclesiæ, de Ecclesiis simplicibus, oratoriis, & capellis, in quibus Missæ sacrum aliquando fieri consuevit, tibi facultatem concedimus, & impartimur, accedente tamen consensu Parochi, & sine Parochialis Ecclesiæ præjudicio, & quod super ejus altare minimè celebretur, nisi ipso Oratorio prius visitato, & iterum ea de re facultate à nobis in scriptis obtenta. In quorum fidem, &c. Dat. &c.

FORMULA LXXXVI.

Facultatis concessæ Episcopo munera Pontificalia exercendi in alienæ diœcesi, absente illius Episcopo.

PErillustri & Reverendissimo in Christo Patri Domino D. Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ Episcopo N. Salutem in Domino. Cùm ob diuturnam absentiam, & itineris distantiam, quibus Nos à civitate nostra Bracharensi detinemur, munera Pontificalia Clero, & populo Bracherensi minimè exhibere possimus, ne propterea Ecclesia debitis ipsi muneribus, & obsequiis spiritualibus destituatur, quantum cum Domino licet, providere cupientes, quæ ad Dei honorem, & animarum salutem, & divini cultus augmentum pertinent, Reverendissimam Dominationem vestram etiam atque etiam rogamus, & in Domino requirimus,

mus, quatenus postquam per dictam civitatem ei iter facere contigerit, dignetur in die Cœnæ Domini proximè ventura olea Catechumenorum & infirmorum, ac Chrismatum benedicere, & consecrare, & in die Sabbati sancti proximè futuri sacram Ordinationem in Cathedrali, vel alia Reverendissimæ Domin. Vestræ bene visa Ecclesia dictæ civitatis celebrare, & primam Tonsuram, minoresque & majores, etiam Presbyteratûs Ordines diœcesanis, & exteris, ac etiam Regularibus clericis, debitas litteras dimissorias à suis Ordinariis & Superioribus habentibus, aliàs tamen à nobis approbatis, conferre; Ecclesias, cœmeteria, & altaria consecrare, & pollutas, seu polluta reconciliare, Sacramentum Confirmationis etiam in Parochialibus Ecclesiis ministrare, campanas, corporalia, pallas & alia Ecclesiastica paramenta benedicere, Calicesque, ac patenas consecrare: servatis tamen in præmissis iis, quæ hoc de genere à sacris Conciliis, & Romano Pontificali præscripta sunt. Pro quibus omnibus muneribus, & eorum quolibet exercendo Amplitudini tuæ facultatem concedimus, &c. ultra beneplacitum nostrum non valituram. In quorum fidem, &c, Dat. &c.

FORMULA LXXXVII.

Licentia Parocho concedenda se absentandi per triginta dies.

D. Rodericus, &c. Dilecto nobis in CHRISTO Presbytero N. Rectori Parochialis Ecclesiæ S. N. Salutem in Domino. Quia nobis significasti legitimam causam, qua per aliquot dies à Parochia tua abesse possis, licentiamque petiisti, dummodo interim de substituto idoneo, & à nobis approbato primùm provideas, quod ab Ecclesia tua possis abesse per dies triginta, qui à præsentium data initium capiant, his litteris facultatem concedimus: durante tamen absentia, ut Missæ Sacrificium offerre possis, fidem præsenti scripto facimus, te nulla Ecclesiastica censura esse innodatum, nec de aliquo crimine, quod sciamus, ad præsens inquisitum, vel diffamatum, sed bonis moribus præditum. In quorum fidem, &c. Dat. &c. *Vide Concil. Bracharense IV. act. 3. cap. 7.*

FORMULA LXXXVIII.

Attestationis Natalium, morum, & professionis Fidei.

D. Rodericus, &c. Universis, & singulis præsentes litteras inspecturis, lecturis, & audituris, Salutem in Domino sempiternam. Ad habendam de fide, moribus, doctrina, ætate, & natalibus certam scientiam dilecti nobis in Christo N. Clerici Bracharensis, pro parte illius requisiti fuimus, ut expetitam super his inquisitionem facere dignaremur. Nos hujusmodi honestæ requisitioni annuere volentes, providos viros Reverendos Doctores NN. & N. quorum fidem, religionem, & animi integritatem probatam habemus, & seorsum super vita, moribus, ætate, religione, & natalibus præmissis medio juramento examinandos coram nobis duximus, & deinde collectis singulorum depositionibus, comperimus præfatum N. esse ætatis circiter triginta annorum, clericali charactere insignitum, & in quatuor minoribus Ordinibus ritè constitutum, legitimis natalibus ortum, honestis moribus præditum, nec ulla prorsus hæresis labe pollutum, sed in communione fidelium qui sanctam Catholicam, & Apostolicam Romanam Ecclesiam profitentur, constanter vixisse, & vivere, ac proinde nec parentibus ulla hæresis, aut perfidiæ legitima infamia maculatis procreatum, illumque in celebri Conimbricensi Academia in jure Canonico laureatum esse: inde subjectos de fide articulos illi coram nobis genibus flexis, præsentibus probis viris Reverendis N. & N. testibus ad hæc vocatis, & specialiter rogatis legendos, & profitendos juxta Bullam felicis record. Pij Papæ IV. tradidimus, quibus ad unum alta & intelligibili voce perlectis, & professis, se illa omnia & singula, sicut scripta sunt, omni tempore servaturum jurejurando promisit, & affirmavit in hunc qui sequitur modum, videlicet: Ego N. firma fide credo, &c. In quorum fidem, &c. Dat. &c.

FORMULA LXXXIX.

Acceptationis Alternativæ.

D. Rodericus, &c. Beneficium, & gratiam Alternativæ per regulam Cancellariæ Apostol. à S. D. N. D. Vrbano divina providentia Papa VIII. nuper concessam & promulgatam Romæ in eadem Cancellaria Apost. debita qua decet reverentia, & gratiarum actione acceptare volentes, & intendentes, harum serie animum & voluntatem nostram declarantes, præfatam gratiam Alternativæ acceptamus, ac ea uti velle declaramus. In quorum fidem, & testimonium præmissorum præsentes nostras juxta præfatæ regulæ dispositionem patentes litteras manu nostra propria subscripsimus, & nostro in similibus solito sigillo imprimi, ac per infrascriptum Secretarium nostrum scribi jussimus, & ad R. ejusdem S. D. N. Papæ Datarium transmitti curavimus. Datum, &c. *Ponit Fusc. de Visitat. lib. 2. cap. 28. num. 33.*

Quibus missis & recognitis à R. D. Datario, solet addi fides, eas fuisse adnotatas in Cancellaria, & posse acceptantem uti Alternativa, sub hac forma. Pro parte Reverendissimi D. N. Episcopi N. præsentatæ, & recognitæ fuerunt literæ acceptationis gratiæ Alternativæ mensium concessæ à S. D. N. D. Vrbano divina providentia Papa VIII. Episcopis apud suas Ecclesias verè & personaliter residentibus. In quorum fidem, &c. N. Datarius.

FORMULA XC.

Acceptationis ejusdem Alternativæ.

D. Rodericus, &c. Intendentes, & volentes observare regulam reservatoriam mensium Apostol. S. D. N. D. Vrbani divina providentia Papæ VIII. necnon frui gratia, & beneficio Alternativæ, Episcopis apud Ecclesias, aut Diœceses suas verè, & personaliter residentibus per eandem regulam concessæ: Propterea humiliter, & debita cum reverentia, ac omni meliori modo, quo possumus, & debemus, libenter præfatæ Alternativæ gratiam acceptamus, ac ea uti velle declaramus. In cujus voluntatis, acceptationis, & declarationis fidem præsentes patentes literas per nostrum Secretarium, & Apostolicum Notarium scriptas nostra manu propria subsignavimus, sigillique nostri soliti impressione muniri fecimus, & illas ad R. D. ejusdem D. N. Papæ Datarium transmittere curavimus, juxta formam & ad effectum de quibus prædicta Regula. Dat. in ædibus nostris, &c. testibus ad præmissa vocatis & præsentibus N. & N. sub die.... *Ponit Gonzal. ad reg. 8. Cancel. gloss. 62. in fine.*

FORMULA

FORMULA XCI.

Acceptationis ejusdem Alternativæ.

D. Rodericus, &c. Cùm jam divino munere, ut tenemur, in nostra Ecclesia personaliter resideamus, habeamusque notitiam regulæ S. D. N. D. Vrbani divina providentia Papæ VIII. de Alternativæ gratia acceptanda ab Episcopis apud eorum Ecclesias, seu in eorum Diœcesibus verè, & personaliter residentibus, ut de omnibus, & quibuscunque beneficiis Ecclesiasticis, cum cura, & sine cura, sæcularibus, & Regularibus, ad liberam dispositionem, seu præsentationem, vel electionem pertinentibus, quæ in mensibus Februarij, Aprilis, Iunij, Augusti, Octobris, & Decembris quomodocumque vacantibus, Episcopi ipsi, sicut præmittitur, residentes liberè disponere valeant, prout in dicta regula latiùs continetur, cujus exemplum vidimus, & perlegimus, in qua etiam decernitur, ut Episcopo, qui Alternativæ prædictæ gratiam acceptare voluerit, acceptationem hujusmodi per patentes suas litteras, ipsasque ad R. D. ejusdem S. D. N. Papæ Datarium transmittere teneatur: Alternativæ gratiam prædictam per præsentes litteras patentes omni meliori modo, via, & jure, quibus meliùs, & efficaciùs debemus, & possumus, cum suis omnibus, & singulis conditionibus, limitationibus, & requisitis, & aliter quàm fortè successores Summi Pont. concesserint, & publicari fecerint, acceptamus. Et sic has nostras patentes litteras manu nostra signatas, & nostro sigillo munitas, per nostrumque infrascriptum Cancellarium subscriptas, ad R. D. Datarium præfatum transmitti mandamus. In quorum fidem, &c.

FORMULA XCII.

Deputationis Vicarij Generalis Episcopi.

Posui suprà Allegat. 54. num. 56.

FORMULA XCIII.

Deputationis Vicarij Generalis à Capitulo Sede vacante.

Posui suprà Allegat. 54. num. 159.

FORMULA XCIV.

Edicti pro visitatione Cathedralis.

D. Rodericus, &c. Salubre Visitationis munus ad sacrorum Canonum, & Sacri Concilij Trident. præscriptum ingredi, ac perficere cupientes, congruum fore existimavimus à nostra Metropolitana Ecclesia incipiendum, &c. Hoc igitur præsenti edicto ad omnium notitiam deducimus, nos crastina die divina adjutrice gratia, xj. hujus mensis post Missarum solemnia visitaturos dictam nostram Metropolitanam Ecclesiam. Monemus itaque omnes RR. Decanum, Dignitates, Canonicos, Quartanarios, Presbyteros, Clericos, cæterasque personas Ecclesiasticas quocumque nomine nuncupatas, dictæ Ecclesiæ inservientes, ut præparent se, vel eorum quemlibet ad hanc visitationem recipiendam, & ostendant eorum Ordinum Bullas, suorum omnium beneficiorum titulos, dispensationes, statuta Ecclesiæ prædictæ, obligationum onera, inventarium præterea bonorum, jurium, & redditum ad eos & eorum Capitulum, & Ecclesiam præfatam quomodolibet spectantia, cum nota distincta instrumentorum, aliarumque publicarum scripturarum, ac repertorium mobilium, visitationi prædictæ conveniant, & intersint quousque illa perfecta fuerit, sub pœnis nostro arbitrio reservatis. Et ne ignorantiæ causa ab aliquo allegari possit, volumus præsentes has nostras litteras in valvis Metropolitanæ prædictæ affigi, ut per affixionem illarum omnes citentur, ac teneantur ac si personaliter moniti, requisiti, ac citati essent. In quorum fidem præsentes nostras litteras propria manu subscriptas, nostro sigillo muniri jussimus. Dat. Bracharæ Augustæ, &c.

FORMULA XCV.

Erectionis Confraternitatis.

D. Rodericus, &c. Vniversis, & singulis has præsentes litteras inspecturis, ac lecturis, Salutem in Domino sempiternam. Significamus qualiter pro parte R.P. Guardiani, & Fratrum Ordinis N. Ecclesiæ S. N. fuit nobis præsentata supplicatio quædam, ad effectum intus dictam Ecclesiam S. N. construendi, & ædificandi Capellam unam sub invocatione Conceptionis Beatissimæ Virginis, ad honorem omnipotentis Dei, & remissionem peccatorum populi, cum potestate erigendi Confraternitatem, ac librum conficiendi, & in eo adscribendi omnes Confratres dictæ Confratriæ adscribi volentes. Nos enim hujusmodi attendentes supplicationi non esse denegandum assensum, tenore præsentium licentiam concedimus, & impertimur prædicto R. P. Guardiano, & Fratribus ejusdem Ecclesiæ S. N. Ordinis N. erigendi, construendi, & ædificandi prædictam Capellam intus præfatam Ecclesiam sub invocatione Conceptionis B. Virginis, illamque cum campanili, campanis, cœmeterio, calicibus, patenis, ornamentis, & paramentis Ecclesiasticis in ea existentibus, juribus, & pertinentiis Ecclesiæ prædictæ, accipiendi, & gaudendi omnibus, & singulis privilegiis, prærogativis, immunitatibus, exemptionibus, indulgentiis, indultis, & gratiis solitis, & consuetis, ac etiam à nobis concedimus, scilicet quadraginta diebus indulgentiarum, si quos habet tam Capella ipsa, quàm prædicta Confratria, & in prædictis, & circa prædicta nostrum assensum pariter, & consensum impartimur. Mandantes prædictis omnibus, & singulis Abbatibus, Vicariis, Rectoribus, Presbyteris, & Clericis nostræ jurisdictioni subjectis, sub pœna excommunicationis, qualiter prædictum R. Guardianum, & Fratres circa præsentem erectionem, ac constitutionem dictæ Capellæ Confraternitatis construendæ intus prædictam Ecclesiam non impediant, & molestent; & qui in dicta die præsentes erunt, gaudeant præsentibus indulgentiis à nobis concessis. Imò omne auxilium, consilium, & favorem præstent, amoto exinde quolibet alio illegitimo detentore, prout nos per præsentes amovemus. Contradictores quoque, & rebelles per censuras Ecclesiasticas compescendo. In quorum omnium, & singulorum fidem, &c.

FORMULA XCVI.

Assensus erigendi Confraternitatem.

VT divinus cultus, & CHRISTI fidelium devotio quotidie magis, ac magis in Oppido N. hujus Bracharen Diœcesis augeatur, concedimus petitam licentiam

licentiam, ut super uno ex altaribus Parochialis Ecclesiæ S. N. accedente tamen, & salvo semper S.D.N. divina providentia Papæ N. & Sanctæ Sedis Apostolicæ auctoritate, consensu, & beneplacito, &c.

Formula XCVII.

Assensus creandi, seu fundandi Hospitale.

D. Rodericus, &c. Viso supradicto Memoriali nobis porrecto super creatione, seu fundatione facienda cujusdam Hospitalis in oppido N. hujus nostræ Diœcesis, dictæ fundationi, & creationi nostrum consensum, assensum & beneplacitum præstamus, extra tamen præjudicium jurium Episcopalium, & Ecclesiæ Parochialis, intra cujus fines erigetur, eique sic erecto omnia privilegia, immunitates, & exemptiones impartimur, quæ aliis Hospitalibus de jure competunt, cum facultate construendi altare, seu Capellam ad effectum celebrandi juxta mentem testatoris, necnon campanilia extruendi, & campanas retinendi, & præterea sepulturam ædificandi pro fundatore, ejusque hæredibus, & successoribus, ejusdemque Hospitalis bonorum, & introituum magistrum, & administratorem constituimus oratorem, ejusque hæredes, & successores, quatenus juris fuerit, qui debeant facere inventarium dictorum bonorum, & introituum, atque promittere, & jurare in manibus nostris, & successorum nostrorum de utilia faciendo, & inutilia prætermittendo, rationemque de administratis fideliter reddendo nobis, & successoribus nostris pro tempore, seu aliis de nostro seu successorum nostrorum ordine, singulis annis, & toties quoties nobis videbitur, cum reliquorum restitutione. In quorum fidem, &c.

Formula XCVIII.

Monitorialium ad finem revelationis pro rebus deperditis.

D. Rodericus, &c. Vniversis, & singulis RR. DD. Abbatibus, Prioribus, Plebanis, Rectoribus, Vicariis perpetuis, Capellanis, Clericis, & Officialibus quarumcunque Ecclesiarum per Civitatem, & Diœcesim Bracharen. Salutem, & mandatorum nostrorum Obedientiam. Expositum nobis nuper est per N. loci N. quod nonnulli iniquitatis filij, quos prorsus ignorat, census, terras, domos, possessiones, bona mobilia, & immobilia, scripturas publicas, & privatas, fidem tamen facientes, ac jura, necnon pecuniarum summas, auri, & argenti quantitates, jocalia, domusque supellectilia magni momenti, ad prædictum exponentem, seu alios legitimè spectantia subtraxerunt, ac temerè occuparunt, eaque malitiosè occultasse, & occultè, ac indebitè detinere præsumpserunt, & præsumunt; ex quo exponenti gravia damna valorem quinquaginta scutorum excedentia nequiter intulerunt, in animarum suarum periculum, & prædicti exponentis non modicum detrimentum, super quibus petitum fuit per nos Ecclesiastico remedio provideri. Quapropter vobis omnibus, & singulis supradictis, ac vestrûm cuilibet in virtute Sanctæ obedientiæ damus in mandatis, quatenus ad omnem instantiam supradicti exponentis in vestris Ecclesiis coram populo in eis ad divina audienda, seu aliàs legitimè congregato, ipsum populum, ac omnes bonorum, & rerum hujusmodi detentores, ac illorum celatores, ac aliàs scientiam habentes, ac damnorum illatores occultos ex parte nostra publicè moneatis, & requiratis, ut infra terminum quindecim dierum à die primæ monitionis nostræ hujusmodi incipiendorum, quorum quinque pro primo, quinque pro secundo, & reliquos quinque dies pro tertio, ultimo, & peremptorio termino, ac monitione Canonica assignamus, & vos assignetis eisdem, dicto exponenti supradicta indebitè occupata, & detenta restituant; occultatores verò, & illa scientes revelent: & si id infra dictum tempus non adimpleverint, ex nunc contra eos generalem excommunicationis sententiam in forma Ecclesiæ consueta proferatis. In quorum fidem, &c. Dat. Bracharæ Augustæ, &c.

Facta monitione inter Missarum solemnia vulgari lingua juxta formam Monitorialis hujusmodi tribus Dominicis continuis, nulloque revelante, solet ulterius concedi licentia fulminandi, servatâ formâ in Synodo celebrata.

Formula XCIX.

Deputationis Vicarij foranei.

D. Rodericus, &c. Dilecto nobis in Christo R.N.... Cupientes in oppido N. nostræ Diœcesis de idonea persona providere, quæ Vicariatûs foranei officium in omnibus ad hujusmodi munus spectantibus benignè pro totius Cleri, & populi quiete, & salute exercere possit, non valentes propter ardua, variaque negotia, ad distantiam locorum Nos & Vicarius noster generalis, personaliter ubique locorum, prout optaremus, interesse, propterea de tua confisi fide, prudentia, probitate, & integritate, auctoritate qua fungimur, in prædicto oppido te in Vicarium foraneum cum omnibus honoribus, oneribus, emolumentis, & prærogativis in forma solitis & consuetis per præsentes facimus, constituimus, & deputamus ad nostrum beneplacitum. Cum potestate omnes depravatos mores in personis Ecclesiasticis tibi subditis corrigendi, & emendandi, informationes ad instantiam partis, vel ex officio contra illos, in crimine concubinatûs, blasphemiæ, & aliorum spiritualium, vel mixti fori delictorum, etiam contra laïcos capiendi, processus formandi, & usque ad sententiam definitivam exclusivè in omnibus causis procedendi, illosque formatos ad nos originaliter transmittendi, præcepta Canonicis, & Presbyteris, & cæteris Ecclesiasticis personis tibi subjectis sub pœnis tibi bene visis de se nobis præsentando faciendi, non parentes carcerandi, in causis civilibus usque ad summam scutorum..... in exequutivis verò, & in quibus non est tela Iudiciaria, seu decretum definitivum non est interponendum, usque ad quamlibet summam cognoscendi, & terminandi, festivitates, & alia quæ mandat & præcipit Sancta Mater Ecclesia servari mandandi, reliquaque omnia faciendi, gerendi, & exercendi, quæ similes Vicarij foranei facere, gerere, & extruere solent. Mandantes omnibus & singulis Canonicis, Presbyteris, Clericis, ceterisque ad quos spectat, ut te in Vicarium foraneum, ut suprà recipiant, admittant, recognoscant, & obediant, sub pœna scutorum auri in auro quingentorum, & in subsidium, excommunicationis. In quorum fidem has præsentes manu nostra subscriptas, & nostro sigillo solito munitas fieri fecimus. Datum Bracharæ Augustæ, &c.

FORMULA C.

Mandati procuræ ad impetrandam confirmationem præsentationis factæ per Regem nostrum ad Episcopatum sui Regij patronatus, & ad excipiendas de eo litteras Apostolicas.

IN nomine Domini, Amen. Præsenti publico instrumento cunctis pateat evidenter, & sit notum, quod anno à Nativitate Domini nostri IESU CHRISTI millesimo, sexcentesimo, &c. Indictione N. die verò N. mensis N. Pontificatus autem Sanctissimi in CHRISTO Patris, & Domini N. divina providentia Papæ N. anno ejus N. in mei Notarij publici, testiumque infrascriptorum præsentia personaliter constitutus Illustrissimus D. Rodericus,&c. & circa quorumcunque suorum procuratorum per eum hactenus quomodolibet constitutorum revocationem omnibus melioribus via, jure, modo, & causa, quibus meliùs, validiùs, & efficaciùs de Iure potuit, & debuit, fecit, constituit, creavit, & solemniter ordinavit suos veros, certos, legitimos, & indubitatos procuratores, actores, factores, negotiorumque suorum infrascriptorum gestores, ac Nuncios, speciales,& generales, ita tamen quod specialitas generalitati non deroget, nec è contra, & quod non sit melior conditio primitùs occupantis, nec deterior subsequentis, sed quod unus eorum inceperit, alter verò possit prosequi,mediare, finire, & terminare, atque ad debitum finem, & effectum perducere, videlicet DD. N. & N. absentes tanquam præsentes, & quemlibet eorum insolidum, specialiter, & expressè ad ipsius Illustrissimi Domini constituentis nomine, & pro eo præsentationem,seu nominationem de persona sua ad Archiepiscopatum N.qui de Iurepatronatus Serenissimi Domini nostri Domini N. Hispaniæ Regis Catholici existit, per Serenissimam Regiam Maiestatem prædictam factam, coram prædicto Sanctissimo Domino nostro Papa, & in suo Consistorio, ac Illustrissimo Datario,seu Vicecancellario, aut persona ad id potestatem habente præsentandum, illemque,& illas confirmari petendum, & instandum, informationes de moribus, & vita, cæterisque qualitatibus ad dicti Domini constituentis instantiam desuper assumptas,cæteraque instrumenta necessaria, coram quibus opus fuerit, etiam præsentandum, quascumque supplicationes necessarias, & opportunas offerendum, litterasque Apostolicas provisionis dicti Archiepiscopatus N. & alias necessarias ad dicti Domini constituentis favorem expediri petendum, & instandum, & in ejus animam jurandum, quod in præmissis non intervenit, nec intervenire speratur fraus, dolus, simoniæ labes, aut quævis alia illicita pactio, seu corruptela, & alia juramenta quæcumque,si necesse fuerit præstandum,cæteraque complendum ad hoc necessaria, & opportuna, itavt ex defectu mandati præmissa omnia suum effectum sortiri non desinant, unum quoque, vel plures procuratorem,seu procuratores loco sui, cum simili, aut limitata potestate substituendum, eumque, vel eos revocandum, & onus procurationis hujusmodi in se reassumendum toties quoties opus fuerit, & ipsis videbitur expedire, præsenti procuratorio nihilominus in suo robore duraturo,& generaliter omnia alia & singula faciendum,dicendum, gerendum, exercendum, & procurandum, quæ in præmissis, & circa ea necessaria fuerint, seu quomodolibet opportuna, & quæ ipsemet dominus constituens faceret, & facere posset, si præmissis omnibus, & singulis præsens, & personaliter interesset,etiamsi talia forent, quæ mandatum exigerent magis speciale, quàm præsentibus sit expressum. Promittens insuper idem dominus constituens mihi Notario publico Apostolico infrascripto, tanquam publicæ, & authenticæ personæ solemniter stipulanti, & recipienti vice, ac nomine omnium & singulorum, quorum interest, intererit, aut interesse poterit quomodolibet in futurum,se ratum, gratum, validum, atque firmum perpetuò habiturum totum id, & quidquid per dictos suos procuratores,& substituendos ab eis dictum,actum, gestum, factum, vel procuratum fuerit in præmissis, seu aliquo præmissorum. Relevans nihilominus ex nunc,& relevare volens eosdem procuratores, ab eisque substituendos, & illorum quemlibet ab omni onere satisdandi, ac judicio sisti, & judicatum solvi, cum omnibus & singulis clausulis necessariis, & opportunis, sub hypotheca & obligatione omnium, & singulorum bonorum suorum mobilium,& immobilium, spiritualium, & temporalium, præsentium, & futurorum, ac qualibet alia Iuris, & facti renunciatione, ad hæc necessaria, pariter & cautela. Super quibus omnibus, & singulis præmissis idem dominus constituens sibi à me Notario publico Apostolico infrascripto unum, vel plura, publicum, seu publica fieri petiit, ac confici instrumentum, seu instrumenta. Acta fuerunt hæc in civitate, vel oppido N. sub anno,die, mense, indictione, & Pontificatu quibus supra, præsentibus ibidem pro testibus N. & N. in dicta civitate,vel oppido commorantibus, ad præmissa vocatis, & rogatis, & dictus dominus constituens mihi notario cognitus suo hic se subscripsit nomine, &c.

FORMULA CI.

Mandati procuræ Episcopi nominati per Regem nostrum ad se obligandum de solvendis mediis annatis antiquarum pensionum super Episcopatu auctoritate Apostolica impositarum.

IN nomine Domini, Amen. Præsenti publico instrumento cunctis pateat evidenter, & sit notum, quod anno à Nativitate, &c. *siga como el de ariba*, personaliter constitutus Reverendissimus D. N. electus, & præsentatus per Serenissimum D. nostrum Philippum Hispaniarum Regem Catholicum ad Ecclesiam,& Episcopatum N.omnibus melioribus, &c. fecit,constituit, &c. ita tamen quod specialitas, &c. videlicet Dominos N. & N. specialiter, & expressè ad dictum R.D.constituentem, ipsiusque bona spiritualia, & temporialia, ac fructus, redditus, & proventus dicti Episcopatus N. in ampliori forma Cameræ Apostolicæ latissimè extendenda obligandum ad solvendum omnes, & quascumque pecuniarum summas & quantitates, atque alia quæcumque jura quomodolibet debita, ac debenda, tam Cancellariæ, & Cameræ Apostolicæ, quàm illarum officialibus ratione annatarum, pensionis, seu pensionum super fructibus dicti Episcopatus N. reservatæ, seu reservatarum,tempore quo,ac in eventum in quem prædictæ pensiones, seu earum aliqua quomodolibet extinguantur, seu vacare censeantur ad favorem dicti R. D. constituentis, & intra sex menses à die extinctionis, & vacationis hujusmodi, ac desuper quascumque scripturas, ac instrumenta, cum clausulis, vinculis, cautelis, & obligationibus necessariis, & opportunis, stipulandum, ac stipulari faciendum, & infirmandum,quæ ex nunc, prout ex tunc approbat, ut valeant,& ita firma sint,ac si ipse R. D.constituens ea faceret, & stipularet, eisque præsens, & personaliter interesset; juramenta quæcunque, si necesse fuerit

fuerit in animam ipsius R. D. constituentis præstandum, cæteraque complendum ad hoc necessaria, & opportuna, itaut ex defectu mandati præmissa omnia suum effectum sortiri non desinant, & unumquodque, &c. sequatur formam mandati præcedentis usque ad finem.

Formula CII.

Mandati procuræ ad consentiendum novis pensionibus super Episcopatu imponendis.

IN nomine Domini, Amen, &c. Personaliter constitutus Reverendissimus Dominus N. electus Episcopus, &c. specialiter, & expressè ex ipsius R. D. constituentis nomine, & pro eo, in eventu, in quem, ac dum, & quando prædictus Sanctissimus Dominus noster super fructibus, redditibus, & proventibus mensæ Episcopalis N. ad quam per Serenissimum Dominum nostrum D. Philippum Hispaniarum Regem Catholicum, quæ de jure patronatus prædicti Domini Regis existit, præsentatus fuit, nonnullas annuas pensiones ad favorem personarum per eum nominandarum, reservare, constituere, & assignare voluerit, tunc, & eo casu, & non aliàs, aliter, neque alio modo, constitutioni, reservationi, & assignationi pensionum prædictarum consentiendum, suos assensus, & consensus præstandum, eosque stipulandum, firmandum, ac cum solitis clausulis extendendum & jurandum in forma, litterarumque expeditioni consentiendum, & ad dictarum pensionum solutionem dictum R. Dominum constituentem in ampliori forma Cameræ Apostolicæ latissimè extendenda obligandum, & in ejus animam jurandum, quod in præmissis non intervenit, nec intervenire speratur dolus, simoniæ labes, aut quævis alia illicita pactio, seu corruptela, & alia juramenta quæcumque necessaria præsumendum, quascumque supplicationes præsentandum, cæteraque complendum, &c. prosequatur usque in finem formarum præcedentium mandatorum.

Formula CIII.

Iuramenti cum Bullis ad Episcopum transmissi, ad effectum illud emittendi ante ejus consecrationem.

FOrma juramenti. Ego N. ab hac hora in antea fidelis, & obediens ero beato Petro, sanctæque Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, ac Domino nostro, Domino N. Papæ N. suisque successoribus canonicè intrantibus, non ero in consilio, aut consensu, vel facto, ut vitam perdant, aut membrum, seu capiantur, aut in eos violentæ manus quomodolibet ingerantur, vel injuriæ aliquæ inferantur, quovis quæsito colore: Consilium verò, quod mihi credituri sunt per se, aut nuntios, seu litteras, ad eorum damnum, me sciente nemini pandam: Papatum Romanum, & regalia sancti Petri adjutor eis ero ad retinendum, & defendendum contra omnem hominem: Legatum Apostolicæ Sedis in eundo & redeundo honorificè tractabo, & in suis necessitatibus adjuvabo, jura, honores, privilegia, & authoritatem Romanæ Ecclesiæ, Domini nostri Papæ, & successorum prædictorum conservare & defendere, augere, & promovere curabo: non ero in consilio, facto, vel tractatu, in quibus contra ipsum Dominum nostrum, vel eandem Romanam Ecclesiam aliqua siniſtra, vel præjudicialia personæ, honori, juri, statui, & potestati eorum machinentur, & si alia à quibuscumque procurari noverò vel tractari, impediam hoc pro posse, & quanto citius potero commodè, significabo eidem Domino nostro, vel alteri per quem ad ipsius notitiam poterit pervenire. Regulas sanctorum Patrum, decreta, ordinationes, sententias, dispositiones, reservationes, provisiones, & mandata Apostolica totis viribus observabo, & faciam ab eis observari, hæreticos, schismaticos, & rebelles Domino nostro, & successoribus prædictis pro posse persequar, & impugnabo: vocatus ad Synodum veniam, nisi præpeditus fuero canonica præpeditione, Apostolorum limina singulis quadriennijs personaliter, ac per meipsum visitabo, & Domino nostro, ac successoribus prædictis rationem reddam de toto pastorali officio, deque rebus omnibus ad meæ Ecclesiæ statum, ad Cleri, & populi disciplinam, animarum denique, quæ meæ fidei creditæ sunt, salutem quovis modo pertinentibus, & vicissim mandata Apostolica prædicta humiliter recipiam, & quàm diligentissimè exequar. Quod si legitimo impedimento detentus fuero, prædicta omnia adimplebo per certum nuntium ad hoc speciale mandatum habentem de gremio mei Capituli, aut alium in dignitate Ecclesiastica constitutum, seu aliàs personatum habentem, aut his mihi deficientibus, per diœcesanum Sacerdotem, & Clero deficiente omnino, per aliquem alium Presbyterum sæcularem, vel regularem spectatæ probitatis, & religionis, de supradictis omnibus plenè instructum: de hujusmodi autem impedimento docebo per legitimas probationes ad sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem proponentem in Congregatione Sacri Concilij Tridentini per supradictum nuntium transmittendas; possessiones verò ad mensam meam pertinentes non vendam, neque donabo, neque impignorabo, neque de novo infeudabò, vel aliquo modo alienabo, etiam cum consensu Capituli Ecclesiæ meæ, inconsulto Romano Pontifice, & si ad aliquam alienationem devenero, pœnas in quadam super hoc edita constitutione contentas eo ipso incurrere volo: sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia, &c. Testimonij hujus Iuramenti formula adest infra in ordine 107.

Formula CIV.

Consecrationis Episcopalis testimonij.

RODericus Dei, & Apostolicæ Sedis gratiâ Archiepiscopus N. &c. Vniversis, & singulis præsentes litteras inspecturis, Salutem in Domino sempiternam. Notum facimus per præsentes, quod nos de mandato, & commissione Sanctissimi Domini nostri Domini N. divina providentia Papæ N. per suas litteras Apostolicas Bullatas, sub datis, &c. & per nos debita cum reverentia receptas, post præsentationem, & publicationem dictarum litterarum in tali Ecclesia, &c. assistentibus nobis Reverendissimis Patribus DD. N. & N. Episcopis, Reverendissimum in Christo Patrem D. N. eadem Dei, & Apostolicæ Sedis gratia electum, & confirmatum Episcopum N. (recepto priùs ab eo debitæ fidelitatis juramento) in Episcopum consecravimus, munusque Episcopalis consecrationis eidem præsenti, & humiliter flexis genibus devotè recipienti, & acceptanti impendimus, caput, & ejus manus oleo, & sancto chrismate ungendo, baculum Pastoralem tradendo, & annulum, ut moris est, digito ejus, ipsum subarrhando, coronam, seu mitram capiti ejus imponendo, chirothecisque ejus manus induendo, ipsum ut Episcopum, & Pastorem in Sede, seu faldistorio inthronizavimus,

ravimus, cum cæteris aliis cæremoniis in similibus adhiberi solitis, & juxta formam, & consuetudinem sanctæ Romanæ Ecclesiæ in talibus observari consuetis, cooperante nobis gratia Spiritus septiformis. In cujus rei testimonium præsentes litteras fieri, sigillique nostri jussimus impressione muniri, ac per Secretarium nostrum infrascriptum referendari. Dat. in tali loco, die, mense, &c. anno, &c. indictione, &c. & Pontificatu, &c. præsentibus ibidem N. & N. testibus ad præmissa vocatis, & adhibitis, & quamplurimis aliis discretis viris eidem actui assistentibus, &c.

FORMULA CV.

Mandati procuræ ad capiendam possessionem alicujus Episcopatus.

IN nomine Domini. Amen. Per hoc præsens publicum procurationis instrumentum cunctis pateat evidenter, & sit notum, quod nos N. &c. Cùm igitur à sanctissimo Domino nostro, Domino N. divina providentia Papa N. ad electionem, & præsentationem de nobis factam ab invictissimo Domino nostro Philippo Rege Catholico de dicto Episcopatu N. per obitum Reverendissimi Domini N. illius ultimi possessoris (vel per ascensionem, & promotionem Reverendissimi Domini N. illius ultimi possessoris, ad Episcopatum, vel Archiepiscopatum N.) provisi extiterimus, prout in litteris Apostolicis desuper confectis pleniùs continetur. Idcirco omnibus melioribus modo, via, & forma, quibus meliùs, & efficaciùs de jure possumus, & debemus, facimus, constituimus, creamus, nominamus, & solemniter ordinamus nostros veros, certos, legitimos, ac indubitatos procuratores, actores, factores, nuntios speciales & generales; ita tamen quod specialitas generalitati non deroget, nec è contra, & quod non sit melior conditio primitùs occupantis, nec deterior subsequentis, sed quod unus eorum incœperit, alter verò id prosequi, mediare, & terminare possit, & valeat, atque ad debitum finem, & effectum perducere, videlicet N. & N. quemlibet eorum insolidum, specialiter, & expressè, ac nostro nomine, & per nos vigore dictarum Bullarum Apostolicarum in præfatæ nostræ Cathedralis Ecclesiæ N. & aliarum Ecclesiarum Collegiatarum dicti nostri Episcopatus, & dignitatis, ejusdemque villarum, præsidiorum, locorum, oppidorum, & pertinentiarum omnium eorundem, tam spiritualis, quàm temporalis jurisdictionis possessionem realem, actualem, corporalem, vel quasi, cum omnibus privilegiis, cæremoniis, & gratiis consuetis poni, recipi, induci, ac inductos defendi, petendum, faciendum, & obtinendum, ipsamque possessionem captam, & apprehensam intrandum, ac manuteneri, defendi, & conservari petendum, etiam faciendum, & procurandum: necnon de observandis dictæ nostræ Cathedralis Ecclesiæ, aliarumque Ecclesiarum collegiatarum prædictæ nostræ dignitatis Episcopalis laudabilibus statutis, & consuetudinibus à prædecessoribus nostris observari solitis, in nostri animam licitum præstandum juramentum, & omnia etiam prædictis annexa, connexa, dependentia, & accessoria faciendum, petitionesque, & intimationes, protestationes, actusque tam judiciales, quàm extrajudiciales præsentandum, & præstandum, ubi, quando, & quomodolibet visum fuerit, omniaque alia, & singula faciendum, dicendum, gerendum, exercendum, & procurandum, quæ in præmissis necessaria fuerint, seu quomodolibet oportuna, & quæ nos ageremus, & faceremus, si præmissis omnibus singulis præsentes, ac personaliter interessemus, etiamsi talia forent, quæ mandatum exigerent magis speciale, quàm præsentibus sit expressum. Nos enim omnia ea, quæ ad hoc necessaria fuerint, prout inserta, ac si de verbo ad verbum hîc scripta, & apposita fuissent, reputamus, & habemus, promittentes præsenti Notario publico infrascripto, tanquam publicæ, & authenticæ personæ solemniter stipulanti, vice, ac nomine omnium, & singulorum, quorum interest, intererit, aut interesse poterit quomodolibet in futurum, nos ratum, gratum, validum, atque firmum perpetuò habituros totum id, & quidquid per dictos nostros procuratores actum, dictum, factum, gestum, & procuratum fuerit in præmissis, seu aliquo præmissorum, relevantes eos ab omni onere satisdandi, judicio sisti, & judicatum solvi, cum omnibus suis clausulis, necessariisve, & opportunis, sub hypotheca, & obligatione omnium, & singulorum bonorum nostrorum mobilium, & immobilium, spiritualium, præsentium & futurorum, & qualibet alia juris, & facti renunciatione ad hæc necessaria, pariter & cautela. In quorum omnium, & singulorum fidem præsens publicum procurationis instrumentum manu nostra subscriptum, & per infrascriptum Notarium Secretarium nostrum subscriptum, & subsignatum fieri jussimus in civitate, vel oppido N. in ædibus nostræ habitationis, sub anno Domini millesimo, &c. die verò N. mensis N. præsentibus ibidem NN. &c. testibus ad præmissa vocatis, atque rogatis, & dictus Reverendissimus Dominus Episcopus N. constituens, mihi Notario cognitus, suo se hîc subscripsit nomine.

FORMULA CVI.

Possessionis Episcopatûs.

IN nomine Domini, Amen. Anno ejusdem N. indictione N. die verò N. mensis N. Pontificatus sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri, Domini N. divina providentia Papæ N. anno N. coram venerabilibus, & circumspectis viris Dominis N. & N. &c. N. Decano, Canonicis, & Capitulo Cathedralis Ecclesiæ N. cæterisque Canonicis, Capitularibus, & personis dictæ Ecclesiæ inibi, & in eadem Ecclesia simul congregatis, & existentibus in loco suo capitulari ad sonum campanæ pulsatæ, juxta usum, & consuetudinem ipsorum hactenus observatam vocatis, in mea Nonarij publici Apostolici, & testium infrascriptorum ad hoc specialiter vocatorum, & rogatorum præsentia personaliter constitutus Dominus N. procurator, & procuratorio nomine R. Patris Domini Roderici Archiepiscopi N. (pro ut suo procurationis mandato per quoddam publicum instrumentum, sub data, &c. quod ibidem præsentavit, & ostendit, legitimis constat documentis) quasdam litteras Apostolicas provisionis Archiepiscopatus dictæ Ecclesiæ N. dicto Illustrissimo D. Roderico per præfatum Dominum nostrum Papam gratiosè concessas, sub data, &c. quarum tenores propter earum prolixitatem omitto, ibidem præsentavit, & legi fecit. Quarum quidem litterarum Apostolicarum vigore idem Dominus N. procurator nomine quo supra procuratorio, dictos Capitulum, aliasque personas singulares, & capitulares prædictos, quatenus ipsum nomine præfati Illustrissimi Domini Roderici, in, & ad corporalem, realem, & actualem possessionem dictæ Ecclesiæ, & Archiepiscopatus N. cum omnibus juribus, & pertinentiis suis, ac oneribus, & honoribus juxta, & secundum earundem litterarum Apostolicarum vim, continentiam, & tenorem, sub pœnis, sententiis, & censuris in eisdem litteris con-

tentis ponerent, & inducerent, debita cum instantia postulavit. Quiquidem Domini de Capitulo, singulæque personæ capitulares prædictæ statim supradictas litteras Apostolicas, ut obedientes filij ad se recipientes, & eisdem obedire volentes, eundem Dominum N. procuratorem in persona dicti Illustrissimi Domini Roderici, in realem, corporalem, & actualem possessionem dictæ Ecclesiæ, & Archiepiscopatus N. cum decantatione, & solemnitatibus in talibus fieri solitis, & consueris receperunt, & induxerunt, & in Sede Archiepiscopali in choro, & in loco in Capitulo ejusdem Ecclesiæ sedere fecerunt, necnon possessionem audientiæ dictæ Ecclesiæ quæ tenetur modò in tali parte, ac in domum, sive palatium Archiepiscopale N. procuratorem prædictum, nomine quo supra procuratorio, cum solemnitatibus in talibus solitis induxerunt; & eandem domum, sive palatium Archiepiscopale eidem dicto nomine assignarunt, recepto primitus ab eodem Domino N. procuratore nomine quo supra, & præstito in manibus mei Notarij publici Apostolici infrascripti, in anima dicti Illustrissimi D. Roderici Archiepiscopi corporali juramento professionis fidei, juxta sacri Concilij Tridentini decreta, & de observandis dictæ Ecclesiæ statutis: super quibus omnibus, & singulis idem D. N. procurator, nomine quo supra procuratorio, ac sui principalis, sive à me Notario publico Apostolico, unum, vel plura, publicum, seu publica fieri petiit instrumentum, sive instrumenta. Acta fuerunt hæc in civitate N. die, mense, anno, indictione, & Pontificatu quibus supra, præsentibus pro testibus DD. NN. in hac dicta civitate residentibus, ad præmissa omnia, & singula vocatis pariter, atque rogatis, & dicti DD. Decanus, & NN. Canonici pro Capitulo, dictusque procurator suis hîc se scripserunt nominibus.

FORMULA CVII.

Testimonij juramenti ab Episcopo emittendi ante consecrationem.

BEatissime Pater, postquàm litteras Apostolicas Sanctitatis vestræ sub plumbo expeditas, sub datis Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Domini N. die N. Pontificatus N. recepi, in quibus Beatitudo vestra mihi indulsit, & mandavit, ut à quocumque maluerim Catholico Antistite gratiam, & communionem Apostolicæ Sedis habente, assistentibus duobus aliis Catholicis Episcopis, munus consecrationis recipere valerem, & ante dicti muneris receptionem juramentum sub forma in dictis litteris contenta præstarem, & per meas patentes litteras meo sigillo munitas, illud per proprium nuntium ad Sanctitatem vestram, & Sedem Apostolicam, quantocitiùs destinare procurarem, sicque dictis S. V. litteris, & mandatis Apostolicis parendo, juramentum juxta formam in eis præscriptam, in tali oppido, die, mense, & anno, in manibus R. D. Archiepiscopi N. assistentibus RR. DD. Episcopis N. & N. hujusmodi sub tenore præstiti.

Inseratur hîc juramentum ad literam, prout for. 105.

In quorum fidem, & testimonium præsentes meas litteras manu mea subscriptas, & sigillo meo munitas, ac per infrascriptum Secretarium meum referendatas, ad effectum prædictum transmittere S. V. curavi, quam Deus Optim. Max. ad multos annos incolumem conservare, & exaltare dignetur. Dat. in tali oppido, die, mense, & anno, præsentibus pro testibus NN. &c.

N. Archiepiscopus N.

N. Secretarius.

CIRCA HABENDAM SYNODVM DIOECESANAM, juxta Pontificale Romanum.

EPISCOPI singulis annis quemadmodum à Sacro Concilio Trid. præcipitur, Synodum Diœcesanam habere, & illud anni tempus (hoc est, infra octavam Pentecostes) in hac functione eligere debent, quo impediri minus Parochi possint, cæterique Diœcesani clerici, & ob dierum longitudinem plura simul negotia expediri, & absolvi valeant, ne Ecclesiæ Parochorum præsentia diutiùs careant. Constituto igitur tempore celebrandæ Synodi, illud ex ipsius indictione de more promulgata & affixa publicare debebit in hunc qui sequitur modum.

FORMULA CVIII.

Indictio Synodi Diœcesanæ.

D. Rodericus à Cunha, Dei & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus ac Dominus Bracharæ, Hispaniarumque Primas, &c. Cùm pro nostri Archiepiscopalis officij munere, & antiquorum, ac in Sacro Concilio Trident. editorum Canonum observatione, ad moderandos mores, corrigendos excessus, controversias componendas, aliaque à sacris Canonibus permissa Diœcesanam Synodum habere debeamus. Omnibus igitur cujuscumque Ordinis clericis, qui Canonum jure, vel Ecclesiasticis Sanctionibus, vel Tridentini Concilij decreto, vel consuetudine, aliaque ratione Synodo prædictæ interesse debent, nota fit hujusmodi celebratio, ne aliqua ignorantia excusari possint: Vniversos & singulos prædictos per hoc nostrum edictum, quod ad loca solita affigi & promulgari jussimus, monemus in Domino, eisdemque in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub pœnis Sacrorum Canonum à jure constitutis omninò jubemus, ut præstituta die, quæ erit.... summò mane ad Synodum prædictam in nostra Archiepiscopali Ecclesia celebrandam superpelliceis mundis, & aliis requisitis conveniant, indeque ne cuiquam discedere liceat, nisi impetrata à nobis facultate sub dictis pœnis, ut ope Dei, atque auxilio ea pertractemus, ac promulgemus, quæ ad animarum salutem, Clerique disciplinam, & divini cultus incrementum, totiusque Diœcesis reformationem pro temporum ratione pertinere, aspectare censebimus. In quorum fidem, &c. Dat. Bracharæ Augustæ, &c.

Præter supradictam publicam indictionem aliquando Episcopus Clerum Diœcesis litteris, & monitionibus certiorem facit, ut sedulò se præparare debeant, ac semoto penitùs omni terreno affectu statum Ecclesiarum suarum considerare, & quæ illis ad amplificandum divinum cultum, ac populorum suorum salutem necessaria sunt, adnotare possint. Et antequam Synodus inchoetur, proponetur Tabella, in qua præter Secretarium Synodi, Syndicum, Magistrum cæremoniarum, & alios, qui particularia

particularia in Synodo exercere munera solent, nomina deputatorum quorumdam officialium, quibus indigere magis possunt clerici, provulgantur in hac forma:

Admonum R. N. Vicarius generalis, unà cum R. N. & N. &c. audient querelas, si quæ deferentur, & absentium excusationes in loco.... hora.... quotidie, hoc Synodi tempore. Promotor erit N. Syndicus erit N. Secretarius erit N. Magister cæremoniarum N. Notarij sunt N. & N. &c.

Summo mane præstituto die..... Synodo prædicta interesse debentes in Cathedralem Ecclesiam convenire debent, eo habitu, sive indumento, eoque cultu corporis, qui deceat Ecclesiasticos viros ad juvandum non minus exemplo, quam opere hanc sacram, & antiquo Ecclesiæ sanctæ ritu observatam actionem. Itaque vestes habeant usque ad talos demissas, superpellicea munda, birreta, non autem pileos, coronam in capite quæ appareat, & Ordinibus Ecclesiasticis congruentem, barbam & capillos modestè compositos; & cætera quæ in aliis Synodalibus constitutionibus decreta sunt, ut muneris & status Ecclesiastici gravitatem, & sanctitatem in omni re præ se ferant.

Universi & singuli prædicti cum Cruce, superpelliceis, almutiis, aliisque consuetis pro uniuscujusque gradu, & conditione Ecclesiasticis indumentis, ad Archiepiscopales ædes se appropinquantes, & Illustrissimum D. Archiepiscopum cappam Pontificiam indutum comitantes, processionis ritu ad ipsam Ecclesiam pergunt. Eam ingressus Illustrissimus, aqua benedicta clerum, ut moris est, aspergit, & genuflexus ante Sanctissimum Sacramentum in faldistorio ad id parato paululum orat. Accedit ad Altare majus, ubi in alio faldistorio sub umbella similiter parato sedet. Clero interim loca à Magistro cœremoniarum, aliisque deputatis assignantur. Postea Illustrissimus Archiepiscopus surgens incipit Tertiam, & reliqua tam ab ipso, quàm ab aliis ministris peraguntur; quæ in Pont. Romano de Missa solemni Pontificali habentur; Missa verò de Spiritu sancto solemnis celebratur ab Illustrissimo Archiepisc. Intra cujus solemnia post Evangelium habetur concio ab aliquo Canonico Cathedralis, seu alio ex clero ad id deputato; & Illustrissimus Archiepiscopus in fine Missæ præbet Clero Sacram Communionem.

Expleta Missa idem Illustrissimus Archiepiscopus planetam exuit, pluviale sumit, incipit Antiphonam, Exaudi nos, *reliqua prosequitur prout in Pontificali, in ordine ad Synodum celebrandam, hoc est Psal.* Salvum me fac Deus. *Orationem* Adsumus. *Orat.* Omnipotens. *Litanias, Orat.* Da quæsumus & *Evangelium, ut in libro Pont. Post hæc Illustrissimus Archiepiscopus intonat,* Veni Creator Spiritus, *ut ibidem. Hymno hoc dicto, sedente eodem Archiepiscopo incipit processio Cleri, qua peracta, reversi omnes ad Ecclesiam Cathedralem, in locis sibi assignatis sine strepitu, & tumultu sedent, uniformi spiritu Deum roganties, ut Synodalem actionem suæ gratiæ favore prosequi dignetur, & Illustriss. Archiepiscopus pluviali & stola indutus cum Mitra sedens in faldistorio ante medium Altaris, habet sermonem, ita commendans.*

Quoniam vero veteris instituti, solemnisque ritus est in hujusmodi Synodali conventu pro publicis rebus orationem fieri, ideò in omni prece, & à Sacerdotibus, præsertim in Missæ Sacrificio his Synodalibus diebus ad Deum orationem adhiberi edicimus pro S.D.N.D. Urbano divina providentia Papa VIII. pro Serenissimo Rege nostro Philippo, pro pace & concordia inter Principes Christianos, pro omni ministerio nostro Episcopali, præsertim in hac rerum Synodalium tractatione; pro Christianæ disciplinæ, Cleri, populique conformatione, & progressione in civitate, & Diœcesi nostra; pro ministris nostris, quos in hujus Civitatis, & Diœcesis nobis commissæ culturam adhibemus.

Postmodum Archidiac. ad eundem Archiepiscopum accedens genuflexus accipit decreta Conc. Trid. & alta voce è suggestu legit decretum. Conc. Trid. sess. 24. de reform. cap. 2. *de Synodo celebranda, in hac verba:*

Provincialia Concilia, sicubi omissa sunt, pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, controversiis componendis, aliisque ex Sacris Canonibus permissis removendis, &c. Synodi quoque Diœcesanæ quotannis celebrentur, ad quas exempti etiam omnes, qui aliàs cessante exemptione interesse deberent, nec Capitulis generalibus subduntur, accedere teneantur; ratione tamen Parochialium, aut aliarum sæcularium Ecclesiarum, etiam annexarum debeant ij qui illarum curam gerunt, quicumque illi sint, Synodo interesse. Quod si in his tam Metropolitani, quàm Episcopi, & alij suptascripti negligentes fuerint, pœnas sacris Canonibus sancitas incurrant. *Hactenus Concil. Trident.*

Tum legit sequentia decreta.

Decretum quod in Synodo nulli præjudicetur in sedendo.

DEcernimus, & statuimus, si cui in hanc Synodum admisso contigerit suo loco non incedere, aut alium quempiam actum in eo gerere, non ideò cuiquam jus acquiri, aut acquisitum esse, nihilque de hujusmodi jure, aut possessione detrahi, sed omnia in eodem statu permanere, in quo ante hanc Diœcesanam Synodum reperiebantur.

Idem Archidiaconus legit, dicens:

Decretum de querelis, & excusationibus audiendis.

STatuimus item, & decernimus, ne singulorum causæ graviorum rerum cursum impediant, aut retardent, ut si qui erunt, qui accusationes, & querelas deferre voluerint, aut etiam absentium excusationes ad nos missas, exponant Reverendis NN. & N. quos ad id Judices deputavimus.

Idem Archidiaconus legit, dicens:

Decretum ut præsentes in Synodo sua nomina describi curent.

ITem ut eos qui ob contumaciam, aut negligentiam huic Synodo non interfuerunt, faciliùs cognoscamus, ipsóque pœnis à Sacris Canonibus injunctis subjiciamus, præcipimus, & monemus omnes, & singulos qui in hac Synodo jure interfunt, ut infra biduum proximum nomina sua ab ejusdem Synodi Notariis deputatis describi curent.

Tunc unus ex Notariis pronunciabit alta voce, dicens:

Monentur omnes, qui in hac Synodo jure interfunt, ut nomina sua hodie deferant ad nos Notarios deputatos, ut die crastina vocari possint.

Successivè Promotor pro legendis decretis S. Concilij Trident. de professione Fidei emittenda, & de residentia instantiam facit in hunc qui sequitur modum.

Illustrissime, & Reverendissime Domine: Cavit Sacrosancta Tridentina Synodus, ut omnes qui in posterum beneficia Ecclesiastica fuerint assequuti, & qui in Synodo Diœcesana convenire debent, in ea Synodo, quæ primo quoque tempore celebrabitur, certum juramentum recipiant, profiteantur, & præstent, prout illa Tridentina Sanctione expressum est. Decernit præterea, ut non modò Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi in suis Cathedralibus Ecclesiis residere debeant, verùm id ipsum etiam mandat servari per Parochos, ac alios inferioris Ordinis Chori servitio, & quotidianæ residentiæ obstrictos, & ea id generis decreta in Conciliis Provincialibus, & Episcopalibus

corporalibus publicari præcipit. Quocirca nos N. & N. hujus Synodi Promotores, humiliter petimus, & requirimus, Decreta dicti Concilij circa Fidei professionem & residentiam disponentia, necnon & Constitutionem felicis record. Pij IV. quæ incip. *Injunctum*, ex suggestu legi, atque ad illorum præscriptum ab iis qui tenentur, omnia, & singula præstari.

Post hæc Archidiaconus prosequitur legens, & dicens:

Decretum de professione Fidei ex Concil. Tridenti sess. 25. de reformat. cap. 2.

COgit temporum calamitas, & invalescentium hæresum malitia, ut nihil sit prætermittendum, quod ad populorum ædificationem, & Catholicæ Fidei præsidium videatur posse pertinere. Præcipit igitur Sancta Synodus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & omnibus aliis, qui de jure vel consuetudine in Concilio Provinciali interesse debent, ut ipsa prima Synodo Provinciali post finem præsentis Concilij habenda, ea omnia & singula, quæ ab hac Synodo definita & statuta sunt, palam recipiant, necnon veram obedientiam Summo Romano Pont. spondeant, & profiteantur, simulque hæreses omnes à Sacris Canonibus, & generalibus Conciliis, præsertimque ab hac eadem Synodo damnatas publicè detestentur, & anathematizent. Idemque in posterum quicumque in Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, & Episcopos promovendi, in prima Synodo Provinciali, in qua ipsi interfuerint, omninò observent. Quod si quis ex supradictis omnibus, quod absit, renuerit, Episcopi Comprovinciales statim Summum Pont. admonere sub pœna divinæ indignationis teneantur, interimque ab ejusdem communione abstineant. Cæteri verò omnes, sive in præsenti, sive in futurum beneficia Ecclesiastica habituri, & qui in Synodo Diœcesana convenire debent, idem ut suprà, in ea Synodo, quæ primo quoque tempore celebrabitur, faciant, & observent, aliàs secundum formam sacrorum Canonum puniantur.

Deinde idem Archidiaconus subjungit:

Nos D. Rodericus à Cunha, &c. ut supradictum Concilij Trident. decretum debitæ exequutioni mandetur, præcipimus, & mandamus vobis omnibus, & singulis hic præsentibus, qui ea omnia quæ in decreto nuper lecto habentur, non adimplevistis, vel quia à Superiori Synodo abfuistis, vel ab antecedenti ejus celebratione Ecclesiastica beneficia obtinuistis, ut mox ad nos accedatis, & singuli professionem Fidei in manibus nostris emittatis.

Notarij tunc dicunt:

Accedant qui beneficia Ecclesiastica obtinentes, præcedenti Synodo non interfuerunt, & qui post Synodum eandem præcedentem beneficia Ecclesiastica obtinuerunt.

Notarij ipsi eos nominatim singulos vocant, qui omnes genuflexi ante Illustrissimum Archiepiscopum, uno alta voce prælegente, & cæteris ad verbum quæ ipse prælegit, alta voce repetentibus, professionem faciunt juxta formam Constitutionis Pij IV. incip. Injunctum, &c. in hac verba.

Ego N. firma fide credo, & profiteor omnia, & singula, quæ continentur in Symbolo Fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet: Credo in unum Deum Patrem omnipotentem factorem Cæli, & terræ, visibilium omnium, & invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum filium Dei unigenitum, & ex Patre natum ante omnia sæcula: Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, Genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt: Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cœlis: & incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine, & homo factus est: Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, & sepultus est: Et resurrexit tertia die secundum scripturas; & ascendit in Cœlum, sedet ad dexteram Patris: & iterum venturus est cum gloria judicare vivos, & mortuos, cujus Regni non erit finis: & in Spiritum sanctum Dominum, & vivificantem, qui ex Patre, filioque procedit; qui cum Patre & filio simul adoratur, & conglorificatur, qui locutus est per Prophetas, & unam, Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto Resurrectionem mortuorum: & vitam venturi sæculi. Amen. Apostolicas; & Ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiæ observationes, & Constitutiones firmissimè admitto, & amplector. Item sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, & interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto, nec eam unquam, nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam, & interpretabor. Profiteor quoque septem esse verè & propriè Sacramenta novæ legis à JESU CHRISTO Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licèt non omnia, singulis necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam-Unctionem, Ordinem, & Matrimonium, illaque gratiam conferre: & ex iis Baptismum, Confirmationem, & Ordinem sine Sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio, & admitto. Omnia, & singula, quæ de peccato originali, & de justificatione in Sacrosancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium Sacrificium pro vivis, & defunctis, atque in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse verè, & realiter, & substantialiter corpus & sanguinem, unà cum anima & divinitate Domini nostri JESU CHRISTI, fierique conversionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in Sanguinem: quam conversionem Catholica Ecclesia Transsubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi. Constanter teneo Purgatorium esse, Animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari. Similiter & Sanctos unà cum Christo regnantes, venerandos, atque invocandos esse, eosque orationes Deo nobis offerre, atque eorum Reliquias esse venerandas. Firmissimè assero, imagines CHRISTI, ac Deiparæ semper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas, & retinendas esse, atque eis debitum honorem, ac venerationem impartiendam. Indulgentiarum etiam potestatem à CHRISTO in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maximè salutarem esse affirmo. Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum Matrem, & magistram agnosco, Romanoque Pontifici Beati Petri Apostolorum Principis successori, ac JESU CHRISTI Vicario, veram obedientiam spondeo, ac juro. Cætera item omnia à sacris Canonibus, & œcumenicis Conciliis, ac præcipuè à Sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata indubitanter recipio, atque profiteor; simulque contraria omnia, atque hæreses quascumque ab Ecclesia damnatas, & rejectas, & anathematizatas ego pariter damno, rejicio, & anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor, & veraciter teneo, eandem integram, & inviolatam usque ad extremum vitæ spiritum

ſpiritum conſtantiſſimè (Deo adjuvante) retinere, & confiteri, atque à meis ſubditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum.

Poſt lectam hanc formam profeſſionis Fidei, ſingulì in manibus ejuſdem Archiepiſcopi juramentum emittunt in hunc modum.

Ego N. recipio, promitto, ſpondeo, profiteor, deteſtor, anathematizo, voveo, & juro, ut in decreto, & formula profeſſionis Fidei ex Bulla modò lectis, ſingula ſingulis referendo. Sic Deus me adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

Peracta profeſſione Fidei idem Archidiaconus proſequitur, legens alia decreta, videlicet:

Decretum ſacri Concilij Trident. de reſidentia, ſub Paulo III. ſeſſ. 6. de reformat. cap. 1.

EAdem ſacroſancta Synodus, & infra. Omnes Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis, & Cathedralibus Eccleſiis quibuſcumque quovis nomine ac titulo præfectos monet, & monitos eſſe vult, ut attendentes ſibi, & univerſo gregi, in quo Spiritus ſanctus poſuit eos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo, vigilent ſicut Apoſtolus præcipit, in omnibus laborent, & miniſterium ſuum impleant. Implere autem illud ſe nequaquam poſſe ſciant, ſi greges ſibi commiſſos mercenariorum more deſerant, atque ovium ſuarum, quarum ſanguis de eorum eſt manibus à ſupremo Judice requirendus, cuſtodiæ minimè incumbant. Cùm certiſſimum ſit, non admitti Paſtoris excuſationem, ſi lupus oves comedit, & Paſtor neſcit: at nihilominùs, quia nonnulli (quod vehementer dolendum eſt) hoc tempore reperiuntur, qui propriæ etiam ſalutis immemores, terrenaque cœleſtibus, ac divinis humana præferentes, in diverſis Cutiis vagantur, aut in negotiorum temporalium ſollicitudine, ovili derelicto, atque ovium ſibi commiſſarum cura neglecta, ſe detinent occupatos: Placuit Sacroſanctæ Synodo antiquos Canones, qui temporum, atque hominum injuria penè in deſuetudinem abierunt, adverſus non reſidentes promulgatos innovare, quemadmodum virtute præſentis decreti innovat, ac ulteriùs pro firmiori eorundem reſidentia, & reformandis in Eccleſia moribus, in hunc qui ſequitur modum, ſtatuere, atque ſancire. Si quis à Patriarchali, Primatiali, Metropolitana, ſeu Cathedrali Eccleſia ſibi quocumque titulo, causâ, nomine, ſeu jure commiſſa, quacumque ille dignitate, gradu, & præeminentia præfulgeat, legitimo impedimento, ſeu juſtis, & rationabilibus cauſis ceſſantibus, ſex menſibus continuis extra ſuam Diœceſim morando, abfuerit, quartæ partis fructuum Eccleſiæ applicandorum pœnam ipſo jure incurrat. Quod ſi per alios ſex menſes in hujuſmodi abſentia perſeveraverit, aliam quartam partem fructuum ſimiliter applicandam eo ipſo amittat. Creſcente verò contumacia, ut ſeveriori Sacrorum Canonum cenſuræ ſubjiciatur, Metropolitanus Suffraganeos Epiſcopos abſentes, Metropolitanum verò abſentem Suffraganeus Epiſcopus antiquior reſidens ſub pœna interdicti ingreſſus Eccleſiæ eo ipſo incurrenda infrà tres menſes, per litteras, ſeu nuncium Romano Pont. denunciare teneatur, qui in ipſos abſentes, prout cujuſque major, aut minor contumacia exegerit, ſupremæ Sedis auctoritate animadvertere, & Eccleſiis ipſis de Paſtoribus utilioribus providere poterit, ſicut in Domino noverit ſalubriter expedire.

Idem Archiepiſcopus proſequitur, dicens:

Decretum Sacri Concilij Trid. de reſidentia, ſub Pio IV. ſeſſ. 23. de reform. cap. 1.

CUm præcepto divino mandatum ſit omnibus, quibus animarum cura commiſſa eſt, oves ſuas cognoſcere, &c. uſque in finem.

Tum ſi quæ alia decreta amplius videbuntur aliqua occaſione ex eodem Sacro Concilio afferenda, aut Conſtitutiones Apoſt. poſt decretum de reſidentia, locus eſſe ſolet, ut promulgentur.

Si in manè nihil aliud agere duxerit Illuſtriſſ. Archiepiſcopus, poterit indici continuatio ſeſſionis.

Inſtantia Promotoris pro continuatione ſeſſionis.

ILluſtriſſime & Reverendiſſime Domine. Cùm quæ in hac ſancta Synodo tractanda ſunt hoc manè expediri nequiverint, illud propterea ab Amplitudine tua peto & inſto, ut continuandam eſſe ſeſſionem ordinet.

Indictio continuationis ſeſſionis.

DEcernimus, & indicimus continuationem hujus ſeſſionis fore hodie hora..

Inſtantia Promotoris pro rogitu.

EGo N. hujus Synodi Promotor, rogo te N. ut de omnibus & ſingulis hactenus peractis unum, vel plura conficias inſtrumenta. *Reſponſio Notarij:* Conficiam.

Rogitus Notarij

HÆc omnia peracta fuerunt in publica ſeſſione, ut ſuprà, adhibitis etiam teſtibus Reverendis N. & N. hujus Cathedralis Canonicis.

CONTINUATIO SESSIONIS Primi Diei.

APrandio ſtata hora indicto ſono campanæ, comitatus Illuſtriſſimus Archiepiſcopus ut ſuprà ab univerſo Clero, & peroratis Orationibus ut in Pontificali, proſequitur actionem Synodalem.

Fit inſtantia à Promotore pro eligendis Examinatoribus & judicibus Synodalibus, in hunc qui ſequitur modum.

Illuſtriſſime, & Reverendiſſime Domine. Quod ſanctiſſimè Sacroſancta Tridentina Synodus peculiaribus decretis ſancivit, ut viri Eccleſiaſtici tales in hac Synodo Diœceſana proponantur tum pro Examinatorum officio, tum pro Judicum cauſarum munere obeundo, ad præſcriptum Conſtitutionis felicis record. Bonifacij Papæ VIII. illud ut ab Amplitudine tua, & ab hac Sancta Synodo exequutioni mittatur, & hujuſmodi Examinatores, atque judices probentur, vehementer requiro, & inſto. Ego N. ejuſmodi Synodi Promotor.

Tunc Archidiaconus proſequitur, & legit:

Decretum Sacri Concilij Trid. de eligendis Examinatoribus ad Parochiales Eccleſias, ſeſſ. 24. de reform. cap. 18.

EXpedit, & infrà. Examinatores autem ſingulis annis in Diœceſana Synodo ab Epiſcopo, vel ejus Vicario ad minus ſex proponantur, qui Synodo ſatisfaciant,

faciant, & ab ea probentur. Advenientéque vacatione cujuslibet Ecclesiæ, tres ex illis eligat Episcopus, qui cum eo examen perficiant; indeque succedente alia vacatione, aut eosdem, aut alios tres quos maluerint, ex prædictis illis sex eligat. Sint verò hi Examinatores Magistri, seu Doctores, aut Licentiati in Theologia, aut Jure Canonico, vel alij clerici, seu Regulares, etiam ex Ordine Mendicantium, aut etiam sæculares, qui ad id videbuntur magis idonei, jurentque omnes ad Sancta Dei Evangelia se quacumque humana affectione postposita, fideliter munus exequuturos, caveantque ne quicquam prorsùs occasione hujus examinis, nec ante, nec post accipiant, alioquin simoniæ vitium tam ipsi, quàm alij dantes incurrant, à qua absolvi nequeant, nisi dimissis beneficiis, quæ quomodocumque etiam antè obtinebant, & ad alia in posterum inhabiles reddantur. Et de his omnibus non solùm coram Deo, sed etiam in Synodo Provinciali, si opus erit, rationem reddere teneantur, à qua si quid contra officium eos fecisse compertum fuerit, graviter ejus arbitrio puniri possint, &c.

Subjungit idem Archidiaconus:

Nos igitur D. Rodericus à Cunha, &c. hoc decretum exequi cupientes proponimus vobis ad hujusmodi examinandi munus, & in Examinatores N.N.N. N. N. & N. Illud autem vos omnes hortamur in Domino, & obsecramus, ut Examinatores sine ullo affectu probetis, sicut nos illos pro pastorali nostra vigilantia sine aliquo affectu proposuimus.

Propositis sic Examinatoribus, Archidiaconus interrogat Synodum his verbis.

Placentne vobis Examinatores?

Secretarius autem accipit vota à Synodo, & dicit:

Si quis est, cui non placeant, assurgat, & ad Illustrissimum Archiepiscopum accedat.

Promotor tunc instat pro publicandis Examinatorum nominibus in hæc verba:

Illustrissime & Reverendissime Domine, Actionis Synodalis, & Sacri Concilij Trident. ratio postulat, ut jam nomina Examinatorum ab hac Sancta Synodo probatorum de suggestu publicentur, & ut ipsi Examinatores juramentum ad præscriptum ejusdem Concilij præstent. Quapropter ego N. hujus Synodi Promotor illud ab Amplitudine tua peto, & enixè insto, ut eos omnes & singulos jam publicari faciat, & ut debitum juramentum præstent, suo decreto obstringat.

Publicantur sic Examinatores annuente Illustrissimo Domino:

Examinatores modò in hac sacra Synodo propositi, & nominati majori suffragiorum parte sunt hi, &c. *nominantur.*

Tunc illi, qui denunciati sunt Examinatores, & præsentes adsunt, non pauciores, quàm sex, neque plures quàm viginti, singuli vocati à Magistro cæremoniarum, & deducti in manibus Illustrissimi Archiepiscopi juramentum præstant in hunc modum:

Ego N. deputatus in præsente Synodo examinator eorum, qui eligentur ad Parochiales Ecclesias, juro me fideliter hoc examinandi munere perfuncturum, rejecto omni humano respectu. Ita me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

Sequitur verò idem Lector è suggestu, & legit:

Decretum sacri Concilij Trident. de eligendis quibus committantur causæ, sess. 25. de reform. cap. 10.

QUoniam ob malitiosam petentium suggestionem, & quandoque ob locorum longinquitatem, personarum notitia, quibus causæ mandantur, usque adeo haberi non potest, hincque interdum Judicibus non undequaque idoneis causæ in partibus delegantur, statuit sancta Synodus in singulis Conciliis Provincialibus, aut Diœcesanis aliquot personas, quæ qualitates habeant juxta Constitutionem Bonif. VIII. quæ incip. *Statutum*, & alioquin ad id aptas designari, ut præter Ordinarios locorum, iis etiam posthac causæ Ecclesiasticæ, ac spirituales, & ad forum Ecclesiasticum pertinentes in partibus delegandæ committantur. Et si aliquem interim ex designatis mori contigerit, substituat Ordinarius loci cum consilio Capituli alium in ejus locum, usque ad futuram Provincialem, & Diœcesanam Synodum, ita ut habeat unaquæque Diœcesis quatuor saltem, aut etiam plures probatas personas, ac ut suprà qualificatas, quibus hujusmodi causæ à quolibet Legato vel Nuncio, atque etiam à Sede Apost. committantur: alioquin post designationem factam, quam statim Episcopi ad Summ. Rom. Pont. transmittant, delegationes quæcunque aliorum Judicum aliis quàm his factæ, subreptitiæ censeantur, &c.

Postea subjungit Constitutionem Bonifacij VIII. quæ est cap. 11. de rescript. lib. 6.

Statutum, & infra. Sancimus igitur ut nullis, nisi dignitate præditis, personatum obtinentibus, seu Ecclesiarum Cathedralium Canonicis causæ auctoritate literarum Sedis Apostol. aut Legatorum ejusdem de cætero committantur, nec audiantur alibi, quàm in civitatibus, vel locis insignibus, ubi possit commodè copia peritorum haberi, &c.

Deinde legi potest Constitutio felicis record. Gregorij XV. de Conservatoribus, quæ habetur suprà Alleg...

Sequitur Archidiaconus:

Nos igitur D. Rodericus à Cunha, &c. ut prædictæ Constitutiones exequutioni mandentur, deputamus, & nominamus in Judices N.N.N.N. & N. Canonicos, &c. ut ex iis omnibus illos delegari per vos liceat, qui Synodo satisfaciant, & probati sint, &c.

Propositis sic Judicibus, Archidiaconus ita Synodum interrogat.

Placentne vobis Judices modò propositi, & nominati?

Subjungit Notarius: Si quis est, cui non placeant, accedat ad Illustrissimum Archiepiscopum.

Eorum, quorum interest, suffragiis probati hujusmodi Judices Synodales, fit instantia per Promotorem de illis evulgandis, in hunc modum:

Ut Synodalium actionum promotio, & progressio pro nostri muneris ratione rectè atque ordine fiat: Ego N. Promotor illud peto, & insto, ut Judices ex auctoritate vestra Synodo propositi, & nominati, ac omnium, quorum interest, suffragiis sequutis, jam demùm, ut moris est, de suggestu evulgentur.

Tunc ita fit evulgatio Judicum:

Judices in Synodum relati, & eorum, quorum interest, suffragiis majori parte probati sunt N.N.N.&c.

His peractis, cùm jam dies declinet, priusquam fiat instantia pro continuatione Sessionis, promulgatur decretum de non discedendo à civitate, nec à Synodalibus Sessionibus, in hanc formam:

Universis præterea, & singulis, qui huic Synodo jure interesse debetis, pœna excommunicationis proposita vetamus, ne vestrûm aliquis antequam hæc nostra Diœcesana Synodus de more absoluta, ac dimissa sit, discedat ab hac Civitate, facultate sibi à N. non concessa, nec à sessionali loco, nisi absoluta sessione, aut necessaria de causa; sed huic Synodo, & quibuscumque sessionibus, aut conventibus, qui indicentur, interesse debeatis.

Deinde fit instantia Promotoris, & accusatio contumacia contra absentes, in hunc modum:

Illustrissime & Reverendissime Domine, Cùm jam dies... transierit, qua omnes, & singuli Ecclesiastici Ordinis homines hujus Civitatis & Diœcesis legitimè

timè per publicum edictum moniti, huic Synodo jam præsentes adesse deberent: cumque multi non paruerint, sed usque adeò vel negligentes, vel contumaces fuerint, ut neque præsentes adsint, nec verò justi impedimenti excusationem, causámve, aut nuncium miserint, idcò pro muneris mei officio, Ego N. hujus Synodi Promotor eorum contumaciam accuso, hocque apud Amplitudinem tuam insto, ut citationem valvis hujus Cathedralis Ecclesiæ affigendam committat, & cum eisdem tanquam inobedientibus agi jubeat, prout Iuris est, & sacrorum Canonum ratio postulat.

Resp. Admittimus, committimus, & decernimus.

Posteà fit instantia Promotoris pro indictione secundæ sessionis in hanc formam:

Illustrissime, & Reverendissime Domine. Cùm ea, quæ in hac Sancta Synodo tractanda sunt, in ista sessione expediri nequiverint, illud propterea isto ab Amplitudine tua, ut alteram sessionem indicet.

Promulgatur decretum intimationis sequentis Sessionis, in hunc modum:

Nos D. Rodericus, &c. statuimus, & mandamus proximam Sessionem die crastina juvante Deo, hora..... hoc eodem loco celebrandam esse, eamque indicimus universo Clero civitatis, & Diœcesis nostræ, &c.

Promotor deinde instat pro rogitu in hunc modum:

Ego N. hujus Synodi Promotor rogo te N. ut de omnibus, & singulis hactenus peractis unum, vel plura conficias instrumenta. *Resp. Notarius*: Conficiam. *Rogitus Notarij.* Hæc omnia peracta fuerunt in publica Sessione, ut suprà, adhibitis etiam testibus RR. N. & N. hujus Cathedralis Ecclesiæ Canonicis.

Demum Illustrissimus Archiepiscopus solemniter benedicit, & Sessionem primam dimittit. Pontificalia verò indumenta exuens, sumit cappam, & revertitur comitatus cum Capitulo & Clero.

SECUNDA DIE
Sessio II.

Illustrissimus Archiepiscopus ad Ecclesiam Cathedralem Metropolitanam se confert, ut suprà in prima die. Ipse non celebrat Missam Pontificalem, ne longior actio sit, quam temporis angustia patiuntur. Celebrat Canonicus Metropolitanæ solemniter: præsens adest Archiepiscopus sub umbella ad id parata, & cappa Pontificali indutus. Post Evangelium in medio Missæ habetur concio ab aliquo Canonico, ut suprà. Peracta Missa, Illustrissimus Archiepiscopus induit pluviale, atque cum assistentibus pariter indutis ad Altare procedit, ubi prosequitur omnia, quæ sunt in Pontificali libro de ordine Synodi celebrandæ in secunda die, usque ad Hymnum, Veni Creator Spiritus, *inclusivè. Processio non fit secunda die. His expletis, illustrissimus Archiepiscopus habet sermonem ad Clerum. Post quem accedit ad eum Archipresbyter, sive alius deputatus Canonicus Metropolitanæ, & genuflexus accipit librum Decretorum, ascendit suggestum, ubi legit Constitutiones aliquas Summorum Pontificum aliàs non promulgatas.*

Promotor verò instantiam facit pro eligendis testibus Synodalibus, & punctatoribus in hunc modum:

Illustrissime, & Reverendissime Domine, Sacris Canonibus cautum est, ut viri aliquot graves & probati deligantur, qui diligenter animadvertant, an aliquid fiat in Urbe, sive Diœcesi, quod sit correctione, emendationéve dignum. Et consuetudine introductum est, ut in singulis Capitulis Punctatores deputentur, qui absentes, & errantes punctent. Ego igitur N. hujus Synodi Promotor illud ab Amplitudine peto tua, ut ad hujusmodi munus tales eligat, qui valeant satisfacere.

Decretum de testibus Synodalibus.

VEtus est consuetudo sacris introducta decretis, ut in omnibus Diœcesanis Synodis aliquot viri spectati & probati deligantur, qui testes Synodales appellantur, qui diligenter animadvertant, an aliquid in civitate & Diœcesi corrigendum, emendandumque sit, cognitumque ad nos, aut Vicarium nostrum quotiescunque opus fuerit, fideliter referant, ut scientes spirituales necessitates, & ægritudines, facilius remedia comparare possimus. Idcò nos probatum hoc institutum sequi debuimus, & huic officio proponimus eos, quos in hac schedula adnotavimus, quorum nomina minimè divulganda esse censuimus, ut majori diligentia & libertate huic muneri vacare possint.

Forma autem juramenti ab his testibus Synodalibus secretò præstandi hæc est.

Ego N. testis Synodalis ab Illustrissimo Archiepiscopo nominatus, promitto, spondeo, & juro, quod amodò in antea quicquid novi aut audivi, aut postmodum inquisiturus sum, quod contra voluntatem Dei, & rectam Christianitatem in Diœcesi, vel regione mihi commissa factum sit, vel futurum erit, si in diebus meis evenerit, tantum ut ad meam cognitionem quocumque modo, si scivero, aut judicatum fuerit mihi, Synodalem causam esse, & ad ministerium Illustrissimi Arhciespiscopi pertinere, quod ego nec propter timorem, nec propter præmium, nec propter parentelam ullatenus celabo Illustrissimo Archiepiscopo, aut ejus misso, cui hoc inquirere jusserit, quandocumque ex hoc me interrogaverit: sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Evangelia.

Decretum de eligendis Punctatoribus.

EDicimus ab unoquoque ex venerabilibus Capitulis, tam nostræ Cathedralis, quàm Collegiatarum, eligi Punctatores, qui absentes in libro notent, ac tertio quoque mense ad nos punctationum notulam deferant, & huic officio unoquoque Capitulo proponimus eos, quos in hac schedula adnotavimus, non publicandos, qui secretò etiam ad præscriptam formam debitum juramentum præstent.

Ego N. Punctatoris officium, quod in nostra Collegiata Ecclesia sancti N. suscepi, per hæc sancta Dei Evangelia juratus promitto, ac spondeo me fideliter & sincerè, quantum in me est, exequuturum. Sic me, Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.

His expeditis, Promotor instat, ut eligantur qui intersint congregationi Seminarij, in hunc modum.

Illustrissime, & Reverendissime Domine. Sacrosanctum Tridentinum Concilium *sess.* 23. *cap.* 18. sanctissimo suo decreto consulens rectæ adolescentium institutioni, statuit, ut singulæ Cathedrales, atque his majores Ecclesiæ pro modo facultatum, & Diœcesis amplitudine certum puerorum ipsius civitatis, & Diœcesis, vel ejus provinciæ, si ibi non reperiantur, numerum in Collegio ad hoc prope ipsas Ecclesias, vel alio in loco convenienti ab Episcopo eligendo, alere, ac religiosè educare, & Ecclesiasticis disciplinis instituere teneantur, aliáque piè multa sancivit, & potissimùm, ut eligat duos Canonicos, quorum consilio in iis utatur, quæ ad puerorum ejusdem Seminarij institutionem, disciplinam, moresque attinent. Et item fabricam, & ad mercedem præceptoribus, & ministris solvendam, & ad alendam juventutem, & ad alios sumptus, ac alia quæ ad instituendos, vel alendos pueros sunt destinata, decrevit ut Episcopus, sub cujus cura eadem applicata censentur, duos de Capitulo, quorum alter ab Episcopo, alter

alter ab ipso Capitulo eligatur, itemque duos de Clero Civitatis, quorum alterius electio similiter ad Episcopum, alterius verò ad Clerum pertineat, adhibeat in consilium, consultationémve administrationis temporalium hujusmodi. Ego igitur N. hujus Synodi Promotor pro exequutione sanctionis hujusmodi, illud ab Amplitudine tua vehementer insto, quatenus tales eligere velit, prout Spiritus sanctus suggesserit, qui tantæ rei gravitati satisfacere possint.

Decretum de eligendis iis ex Capitulo & Clero, qui intersint Congregationibus Seminarij.

SAcra Tridentina Synodus cupiens juventutem vel à teneris annis ad pietatem, & religionem reformari, sanctissima sanctione decrevit, in singulis Cathedralibus, & iis majoribus Ecclesiis Seminarij Collegia institui, pro quorum recta administratione & regimine illud etiam præscripsit, ut Episcopus Canonicos duos eligat, prout Spiritus sanctus suggesserit, quorum consilio in iis utatur, quæ ad puerorum institutionem & disciplinam, moresque attinent, ac alios duos de Capitulo, quorum alter ab Episcopo, alter ab ipso Capitulo eligatur; duos item de Clero civitatis, quorum alterius electio similiter ad Episcopum, alterius verò ad Clerum pertineat, quos in consilium adhibeat administrationis temporalium ipsius Seminarij. Nos itaque hujusmodi decretum exequi volentes, eligimus N. & N. quoad institutionem, & disciplinam ipsorum puerorum. Quo verò ad temporalium administrationem Collegij hujusmodi mandamus, ut juxta decretum Tridentinum unum omninò eligatis, & ad nos deferatis, quo in Seminarij congregationibus obeundis illos convocare possimus.

Indictio continuationis sessionis cum instantia, rogitu, & decreto Illustrissimi Archiepiscopi, fit ut suprà in prima die.

CONTINUATIO SESSIONIS Secundi Diei.

APrandio stata hora indicta sono campanæ, comitatus Pontifex ut suprà ab universo Clero, & peroratis orationibus, ut in Pontificali libro, prosequitur actionem Synodalem.

Decretum de casibus reservatis.

QUoniam expedit pro temporum varietate casus reservatos ab Episcopo aliquando mutari, ideo quo pleniùs casus nobis reservatos omnes norint, Tabellam casuum hujusmodi sequentem edicimus, quam ad Concilij Provincialis præscriptum publicari mandamus.

Tabella casuum reservatorum hîc publicatur.

Decretum de Vigiliis & Festis.

DIerum Festorum, qui in civitate, & Diœcesi nostra, tam ex universali sanctæ Matris Ecclesiæ mandato, quàm de consuetudine hujus Diœcesis servari debent, tabellam evulgari decernimus. Porrò Parochi tum Festorum hujusmodi, tum vigiliarum, & jeiuniorum aliorum dierum observantiam sedulò procurent.

Tabella Festorum, & Vigiliarum publicatur.

Decretum de Cathedratico solvendo.

SAcrorum Canonum jure sancitum est, ut in Diœcesana Synodo à singulis Parochis Cathedratici nomine duo solidi exigantur, idque argumento honoris qui Cathedrali Ecclesiæ tanquam Matricià cæteris Parochialibus Ecclesiis tribui debet. Quæ summula licèt fortasse per longissimum temporis spatium à Parochis hujus Civitatis, & Diœcesis persoluta non fuerit, ea tamen debita est Cathedrali, nec præscribi potest. Edicimus igitur, & injungimus Parochis Cathedratici solutionem. *Vel si remittat dicetur:* Remittimus pro hac vice, & condonamus.

Post hæc instat Promotor, ut continuetur Synodus, & legitur decretum Illustr. Archiepiscopi de intimatione futuræ sessionis, & reliqua fiunt pro fine hujus secundæ sessionis, quæ suprà facta fuerunt pro absolutione primæ.

TERTIA DIE.

SESSIO III.

OMnia fiunt prout in secunda die usque ad sermonem Illustriss. Archiepiscopi, mutatis tamen Antiphonis, & Psalmis, aliisque, prout in Pontificali libro habentur de Ordine synodi celebrandæ in tertia die.

Post sermonem Illustrissimi Archiepiscopi aliquis Canonicus Metropolitanæ deputatus accipiens ab eodem Archiepiscopo decreta promulganda, ea è suggestu legit alta voce hoc modo.

Hæc sunt nonnulla decreta reformationis condita ab Illustrissimo & Reverendissimo D. Roderico à Cunha, Archiepiscopo Bracharensi, ad usum præsentis Synodi, quæ mandat omnibus, & singulis, qui eidem Synodo interesse tenentur, ut ea suscipiant, & apud se retineant, & observent; atque ab aliis etiam ad quos pertinet, observari studeant. *Et hîc promulgantur decreta illa, quæ pro ea Synodo sunt ab Illustrissimo, & reverendissimo Archiepiscopo condita.*

His peractis, Reverendus Lector descendit de suggestu, & ad locum suum revertitur; unus autem ex Notariis tunc statim assurgens alta voce dicit:

Omnes & singuli illi qui huic Diœcesanæ Synodo interesse debent, nominatim nunc vocati respondeant, *Adsum.*

Et sic ordine nominabit omnes, & singulos.

Postmodum Promotor accusabit contumaciam absentium in hanc formam.

Illustrissime, & Reverendissime Domine. Cùm aliqui hujus Diœcesis Clerici, qui huic Synodo interesse debebant, adeò vel negligentes, vel contumaces fuerint, ut ad Synodum venire omiserint, neque ad se excusandum de justo impedimento nuncium miserint. Idcirco pro officij necessitate, ego N. hujus Synodi Promotor fiscalis, eorum contumaciam accusando insto apud Illustrissimam Dominationem vestram, ut ad reliquos juris gradus procedi velit, & iterum committi citationem ad valvas hujus Ecclesiæ affigendam, jubeatque, ut omnes ij, qui huic Synodo non interfuerunt, nec nomina sua ad Notarios detulerunt, nec se, quam ob rem non adfuerint, excusarunt, die... Mens... coram Illustrissima Dominatione vestra compareant ad videndum se uti negligentes, & contumaces puniri, juxta formam juris, & sacrorum Canonum.

Illustrissimus Dominus dicit: Admittimus, & committimus; *& Notarij rogabunt.*

Deinde Promotor instat, ut finis imponatur Synodo in hunc modum:

Ego

Ego N... hujus Synodi diœcesanæ ab Illustrissimo D.Roderico,&c.Promotor deputatus, ex officio meo, cùm videam omnia, quæ ad Synodi celebrationem ex præscripto sacri Concilij Trident. requiruntur, in præsenti Synodo esse confecta, & decreta; instò apud eundem Illustrissimum Archiepiscopum, ut eadem Synodus terminetur, & Clerus omnis dimittatur ad suas Ecclesias,& munera obeunda, ad quæ tenetur, & à decretis Synodi hujus præcipuè obstringitur.

Archiepiscopus respondet: Cum gratiarum actione finis Synodo imponatur.

Tunc idem Promotor instat, ut de præmissis omnibus publicum in actis archivij Archiepiscopalis conficiatur, & asservetur instrumentum à Notariis pro Synodo deputatis.

Quod Illustrissimus jubet fieri, dicens: Committimus, & mandamus.

His peractis,fiunt acclamationes,& Archidiaconus, genuflexis omnibus ex Clero, stans in loco ubi assistit ante altare, & stante similiter Illustrissimo Archiepiscopo, reliquisque ministris dicit:

Archid. incip. Benedictus Deus, & pater Domini nostri Iesu Christi, pater misericordiarum, & Deus totius consolationis,ipsi omnis laus, honor & gloria in sæcula sæculorum.

Clerus resp. Amen.Amen,Amen.

Archid. Beatissimo Domino nostro Vrbano divinâ providentiâ Papæ VIII. fidei Christianæ ubique gentium incrementum, & fructus quàm uberrimi veræ pietatis, & disciplinæ obedientia, omnium populorum pax vera, & diuturna prosperitas.

Clerus resp. Exaudire digneris nos famulos tuos quæsumus Domine, Deus noster, & quem Pastorem Ecclesiæ tuæ præesse voluisti,diutissimè,& felicissimè conserva: da illi auxilium de sancto, ut eo gubernante gentes omnes illuminentur, & quæ dispersæ sunt, ad tui nominis confessionem perducantur.

Archid. Illustrissimo,& Reverendissimo D.D.Roderico à Cunha,Archiepiscopo nostro, vigilantia super gregem hunc, constantia in laboribus pro ipsius custodia perferendis, salus animæ, & corporis.

Clerus resp. Dominus conservet eum, & benedictionibus suis, gratiaque salutari assiduè eum cumulare dignetur.

Archid. Regi nostro Philippo IV. Christianæ Religionis defensori perpetua felicitas, & fœcunditas, & contra hostes Fidei victoria.

Clerus resp. Rex Regum, & Domine dominantium, Regem nostrum in amore tuo conserva, & fac illum hostium nostrorum exterminatorem.

Archid. Huic urbi, & Diœcesi Bracharensi tranquillitas, salus, & divinarum gratiarum abundantia.

Clerus resp. Benedic Domine filios tuos,& esto in circuitu populi tui ex hoc,nunc,& usque in sæculum.

Archid. Decretorum hujus diœcesanæ Synodi observationem salutarem, omnes qui adsumus,unanimi voto à Deo bonorum omnium largitore humiliter imploremus, intercedente Deipara Virgine Maria, Domina nostra,cum Beatis Apostolis Petro & Paulo, & Beatis Petro Ratistensi, Gerardo, Fructuoso, & aliis hujus almæ Civitatis Prælatis, & protectoribus, ac Sanctis omnibus.

Clerus resp. Fiat, Amen, Amen.

Quibus expletis,illustrissimus Archiepiscopus genuflexus, & omnes alij simul, incipit: Te Deum laudamus,*cujus primo versu dicto, surgent omnes, & hymnum prosequentur, ipse verò Archiepiscopus sine Mitra stabit versus ad Altare, usque ad finem.*

Quo peracto stans similiter,dicet. ℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam. ℟. Et salutare tuum da nobis. *Oremus*: Exaudi quæsumus Domine, &c. *ut in libro Pontificali.*

*Deinde benedicit solenniter.*Sit nomen Domini benedictum, &c.

Et promulgatur à Magistro caremoniarum, ut moris est, Indulgentia.

Quibus peractis,Archidiaconus stans juxta Illustrissimum Archiepiscopum dicit alta voce: Recedamus cum pace. *Et respondent omnes*,In nomine Christi.

Et revertitur Archiepiscopus, depositis Pontificalibus indumentis,& sumpta cappa,cum Capitulo & Clero Metropolitanæ ad palatium, præcedente Cruce, & ipso Capitulo, &c.

CONSTITUTIONES ET DECRETA APOSTOLICA.

S. D. N.

D. GREGORII PAPÆ XV.

CONSTITUTIO

De exemptorum privilegiis circa animarum curam, Sacramentorum administrationem, Sanctimonialium Monasteria, & Prædicationem Verbi Dei.

GREGORIVS *Episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.*

INSCRVTABILI Dei providentiâ Vniversalis Ecclesiæ regimini, meritis licèt imparibus, præsidentes, pastoralis nostræ solicitudinis partes esse dignoscimus, in eam curam præcipuè incumbere, ut à dignis, & probatis tantùm sacerdotibus sanctè administrentur Ecclesiastica Sacramenta, atque ut Virginum Deo sacrarum Monasteria diligentissimè custodiantur, & viri assumantur idonei ad prædicationis officium salubriter exequendum. Sanè Tridentinæ Synodi decretis providè cautum est, nullum Presbyterum, etiam regularem, posse Confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum re-

Aug. Barbos. Formul. Episc.

putari,

putari, nisi aut parochiale beneficium habeat, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat: Necnon ut in Monasteriis, seu domibus virorum, seu mulierum, quibus imminet animarum cura personarum sæcularium, præter eas, quæ sunt de illorum Monasteriorum, seu locorum familia, personæ tam regulares, quàm secularis ejusmodi curam exercentes subsint immediatè in iis, quæ ad dictam curam & Sacramentorum administrationem pertinent, jurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi, in cujus Diœcesi sunt sita. Itemque ut Episcopi universi sub obtestatione divini judicij, & interminatione maledictionis æternæ in omnibus Monasteriis sibi subjectis Ordinaria, in aliis verò Sedis Apostolicæ authoritate clausuram sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter restitui, & ubi inviolata est, conservari maximè procurent; inobedientes, atque contradictores per censuras Ecclesiasticas, aliasque pœnas, quacumque appellatione postposita, compescendo, atque ut Regulares in Ecclesiis suorum Ordinum prædicare volentes, se coram Episcopis præsentare, & ab eis benedictionem petere teneantur; in Ecclesiis verò, quæ suorum Ordinum non sunt, nullo modo prædicare possint sine Episcopi licentia: contradicente autem Episcopo, nullibi, etiam in suorum Ordinum Ecclesiis, prædicare præsumant. Verùm quia experientiâ compertum est, Ecclesiastici regiminis rationes postulare, ut decretis eisdem aliquid adjungatur, matura deliberatione nostra, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, hac generali, ac perpetuò valitura Constitutione decernimus, statuimus, & declaramus, ut deinceps tam regulares, quàm sæculares quomodolibet exempti, sive animarum curam personarum sæcularium Monasteriis, seu domibus regularibus, aut quibusvis aliis Ecclesiis, vel beneficiis, sive regularibus, sive sæcularibus incumbentem exerceant, sive aliàs Ecclesiastica Sacramenta, aut unum ex illis ministrent, prævia Episcopi licentia, & approbatione; sive quoquo modo in dictæ curæ exercitio, aut in eorundem Sacramentorum, vel alicujus ex illis, administratione de facto absque ulla auctoritate se ingerant; in his, quæ ejusmodi curam, seu administrationem concernunt, omnimodæ jurisdictioni, visitationi, & correctioni Diœcesani Episcopi, tanquam Sedis Apostolicæ delegati, plenè in omnibus subiciantur. Ad hæc tam regulares, quàm sæculares hujusmodi, nullis privilegiis, aut exemptionibus tueri se possint, quominus si deliquerint circa personas intra septa degentes, aut circa clausuram, vel circa bonorum administrationem Monasteriorum Monialium, etiam Regularibus subjectarum, ab Episcopo loci similiter tanquam ad hoc Sedis Apostolicæ delegato, quoties, & quando opus fuerit, puniri, & corrigi valeant. Confessores verò sive regulares, sive sæculares, quomodocumque exempti, tam ordinarij, quàm extraordinarij, ad Confessiones Monialium, etiam regularibus subjectarum, audiendas nullatenus deputari valeant, nisi priùs ab Episcopo Diœcesano idonei judicentur, & approbationem, quæ gratis concedatur, obtineant. Sed & administrantes bona ad ejusmodi Monasteria Sanctimonialium, ut præfertur, etiam regularibus subjectarum pertinentia, sive regulares extiterint, sive sæculares quomodolibet exempti, Episcopo loci, adhibitis etiam Superioribus regularibus, singulis annis rationes administrationis, gratis tamen exigendas, reddere teneantur, ad idque juris remediis cogi, & compelli queant. Liceátque Episcopo ex rationabili causa Superiores regulares admonere, ut ejusmodi Confessores, atque Administratores amoveant; iisque Superioribus id facere detrectantibus, aut negligentibus, habeat Episcopus facultatem prædictos Confessores, & Administratores amovendi quoties, & quomodo opus esse judicaverit. Ac similiter possit Episcopus, unà cum Superioribus regularibus, quarumcunque Abbatissarum, Priorissarum, Præfectarum, vel Præpositarum eorundem Monasteriorum, quocunque nomine appellentur, electionibus per se, vel per alium interesse, ac præsidere, absque ulla tamen ipsorum Monasteriorum impensa. Ac demùm habeat Episcopus tanquam dictæ Sedis delegatus auctoritatem coërcendi, ac puniendi quoscunque exemptos, tam sæculares, quàm regulares, qui in alienis Ecclesiis, aut quæ suorum Ordinum non sunt, absque Episcopi licentia, & in Ecclesiis suis, aut suorum Ordinum, non petita illius benedictione, aut ipso contradicente prædicare præsumpserint. Ita ut Episcopi in suprascriptis casibus, & in prænominatas personas in præmissis omnibus, & singulis, aut circa ea quoquo modo delinquentes, quoties, & quando opus fuerit, etiam extra visitationem, per censuras Ecclesiasticas, aliasque pœnas, uti ejusdem Sedis delegati, procedere, omnémque jurisdictionem exercere liberè & licitè valeant. Decernentes sic per quoscunque Iudices quavis auctoritate fungentes, etiam Sacri Palatij Auditores, necnon Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere. Irritum quoque, & inane si secus super his à quodam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis in favorem quarumcunque personarum, atque Ordinum, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, Militiarum, etiam Sancti Ioannis Hierosolymitani, Congregationum, Societatum, ac cujusvis alterius instituti, etiam necessariò, & in individuo exprimendi, Monasteriorum, Conventuum, Capitulorum, Ecclesiarum, & aliorum quorumcunque, tam sæcularium, quàm regularium locorum, necnon illorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, vel Consuetudinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indultis, & privilegiis, etiam in corpore juris clausis, aut ex causa & titulo oneroso, vel in limine fundationis concessis, etiam Maxi Magno, seu Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis; Conservatorum deputationibus, eorúmque, atque aliis inhibitionibus, quibus Episcopi deferre minimè teneantur; & quibusvis aliis, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus decretis, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis, seu extensionis concessis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis specialis, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda esset, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitùs omisso, & forma in illis tradita observata, inserti forent, præsentibus pro expressis habentes, quibus quoad ea quæ eisdem præsentibus adversantur, illis aliàs in suo robore permansuris, specialiter & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Cæterùm quia difficile foret præsentes litteras ad singula quæque loca deferri, ut eæ tamen omnibus innotescant, mandamus illas ad valvas Lateranensis & Principis Apostolorum de Vrbe Basilicarum, atque Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ publicari, & inibi affigi, & per aliquod temporis spatium dimitti, eisque detractis,

earum

earum exempla eo in loco relinqui. Ac volumus, ut earundem præsentium litterarum transsumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarij publici subscriptis, & sigillo Prælati, seu Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, in judicio, & extra illud, ubi opus fuerit, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis originalibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum Statuti, declarationis, decretorum, derogationis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ M. DC. XXII. Noni, Februarij, Pontificatus nostri Anno Secundo.

V. Dat.

S. de Vrsinis.

Registrata in Secretaria Brevium.

In nomine Domini Amen. Anno à Nativitate Domini Nostri Iesu Christi M. DC. XXIII. indictione Sexta, die verò octava mensis Februarij, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri D. Gregorij divina Providentia Papæ XV. anno II. retroscriptæ litteræ Apostolicæ affixæ & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicarum Sancti Ioannis Lateranensis, Principis Apostolorum de Vrbe, ac Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, dimissis ibidem earundem litterarum originalibus appensis per aliquod temporis spatium, & exinde remotis, deinde dimissis earundem litterarum copiis affixis, ut moris est, per nos Cosmum Modium, & Alexandrum de Rochis S. D. N. Papæ Cursores.

Octavjus Spada Magister Cursorum.

Romæ ex Typographia Rev. Cameræ Apost.
M. DC. XXIII.

Adverte hanc Constit. jussu S. D. N. Vrbani VIII. suspensam fuisse pro Regnis Hispaniarum, ut constat ex Brevi Nuntij Apost. tunc temporis existentis, nunc verò Eminentissimi Card. Saccheti. 21. Aprilis 1625. prout refert Lezana *in sum. quæst. Regul. c. 19. num. 55. in fine.*

Declarationes aliquot Sacræ Congregationis Concilij super constitutione Sanctæ mem. Gregorij XV. de exemptorum privilegiis, &c.

SAcra Congregatio Cardinalium Concilij Trid. Interpretum censuit Constitutionem sanctæ mem. Gregorij XV. de exemptorum privilegiis, nequaquam subjicere Regulares exemptos, quibus cura animarum personarum sæcularium non incumbit, Episcoporum jurisdictioni in iis, quæ Sacramentorum administrationem concernunt, nisi cum in Sacramentis personis sæcularibus administrandis iidem Regulares delinquunt.

I. Dub. An liceat Episcopis visitare Altaria Regularium Ecclesiarum, quibus cura animarum personarum sæcularium non incumbit, aut loca ubi in iisdem Ecclesiis asservatur sanctissimum Eucharistiæ Sacram. vel ubi audiuntur Confessiones personarum sæcularium.

Resp. Sacra Congreg. Episcopis non licere in vim ejusdem Constitutionis visitare Altaria Ecclesiarum Regularium, quibus non incumbit animarum cura personarum sæcularium, nec loca ubi in iisdem Ecclesiis asservatur sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, vel ubi Confessiones personarum sæcularium audiuntur.

II. Dub. An Episcopi possint Regularibus præscribere, ut certis tantum in locis, ac temporibus, aut certarum personarum Confessiones audiant, vel alias illorum privilegia restringere ac moderari in Sacramentis administrandis?

Resp. Hac in parte Constitutionem nihil novi Iuris induxisse, nec ullam novam auctoritatem Episcopis in Regulares attribuisse. Ideoque in vim ipsius Constitutionis non posse Episcopos Regularibus præscribere, ut certis tantùm in locis, ac temporibus, aut certarum personarum Confessiones audiant, vel aliàs illorum privilegia in Sacramentis administrandis restringere, aut moderari. Quod si aliunde Episcopis hujusmodi facultas competat, illam non fuisse ab eadem Constitutione sublatam.

III. Dub. An facultas Episcopis per Constitutionem attributa in exemptos, tam sæculares, quàm Regulares, intelligatur etiam tributa in personas nullius Diœcesis?

Resp. Ejusmodi facultatem non intelligi tributam Episcopis in personas nullius Diœcesis.

IV. Dub. An eadem facultas competat inferioribus Prælatis proprium territorium ac jurisdictionem quasi Episcopalem habentibus?

Resp. Non competere.

V. Dub. An per eandem Constitutionem in illis verbis, possit Episcopus unà cum Superioribus Regularibus quarumcunque Abbatissarum, &c. *electionibus, per se, vel alium interesse, ac præsidere, jus Abbatissas confirmandi Episcopis attributum censeantur?*

Resp. Jus confirmandi Abbatissas minimè fuisse Episcopis per hanc Constitutionem attributum.

VI. Dub. An Confessores Monialium ante editam Constitutionem deputati, debeant ab Episcopo examinari, & approbari?

Resp Confessores quidem extraordinarios Monialium nullatenus posse post Constitutionem illarum Confessiones audire, nisi priùs ab Episcopo Diœcesano idonei judicentur, & approbentur. Ordinarios vero Confessores ante Constitutionis publicationem deputatos posse, durante triennio ab eorum deputatione inchoando, pergere in Confessionibus Sanctimonialium audiendis absque alio examine, & approbatione Episcopi. Quod si contingat ut illorum facultas à Sede Apostol. ultra triennium prorogetur, tunc debere eos ab Episcopo examinari, & approbari.

VII. Dub. An Superiores Regulares similiter ante ipsius Constitutionis publicationem electi, seu deputati, alia indigeant Episcopi approbatione pro concessionibus Sanctimonialium sibi subjectarum audiendis?

Resp. Superiores Regulares electos, seu deputatos ante ipsius Constitutionis publicationem, quibus alioquin facultas competat audiendi Confessiones Monialium sibi subjectarum, posse durante eorum officio pergere sine alia Episcopi approbatione in Confessionibus audiendis illarum tantùm, quæ sponte ac proprio motu id ab eis petierint. At verò eos, qui post Constitutionem eligentur, aut quoquo modo deputabuntur, vel qui in eorum officiis, seu dignitatibus, expleto jam tempore à Constitutionibus cujusque Ordinis, vel aliàs legitimè præfinito, ad aliud tempus confirmabuntur, nequaquam posse Sanctimonialium Confessiones audire, nisi priùs à Diœcesano Episcopo idonei judicati, atque approbati fuerint.

VIII. Dub. An Confessiones, quas audiunt Superiores Regulares electi, seu deputati, vel confirmati post publicationem, & scientiam tenoris dictæ Bullæ, non obtenta Episcopi approbatione, sint nullæ atque irritæ, necne?

Resp. Confessiones hujusmodi nullas atque irritas esse.

IX. Dub. An Regulares generaliter ab Episcopo approbati ad Confessiones personarum sæcularium audiendas, censeantur etiam approbati ad audiendas Confessiones Monialium sibi subjectarum?

Resp. Regulares generaliter ab Episcopo approbatos ad Confessiones personarum sæcularium audiendas nequaquam censeri approbatos ad audiendas Con-

fessiones Monialium sibi subjectarum, sed egere quoad hoc speciali Episcopi approbatione.

X. Dub. An Regularis ad audiendas Confeßiones Monialium unius monasterij ab Episcopo approbatus, Confessiones Monialium alterius monasterij audire possit?

Resp. Regularem ad audiendas Confessiones Monialium unius monasterij ab Episcopo approbatum, minimè posse audire Confessiones Monialium alterius monasterij.

XI. Dub. An Confessores Regulares extraordinarij semel ab Episcopo deputati, & approbati ad audiendas Monialium Confessiones pro una vice infra annum ad præscriptum Sacri Concilij Trid. poßint virtute dictæ approbationis pluries tanquam Confessores extraordinarij earundem Confessiones audire absque nova Episcopi licentia?

Resp. Confessores extraordinarios semel deputatos atque approbatos ab Episcopo ad Monialium Confessiones pro una vice audiendas, haud posse pluries in vim approbationis ejusmodi illarum confessiones audire: sed ab Episcopo toties esse approbandos, quoties casus deputationis contigerit.

XII. Dub. Cum in eadem Constitutione statutum sit, ut liceat Episcopo ex rationabili causa Superiores Regulares admonere, ut amoveant Confessores Monialium, atque administratores bonorum ad earundem Monialium monasteria pertinentium, iisque superioribus id facere detrectantibus, habeat Episcopus facultatem prædictos Confessores, & administratores amovendi, quoties & quando opus esse judicaverit, an ejusmodi causam Episcopus Superioribus Regularibus significare teneatur?

Resp. Non teneri ejusmodi causam significare Superioribus Regularibus, sed hoc relinqui arbitrio, & prudentiæ Episcoporum, quorum conscientiam Sacra Congregat. scriò oneravit, ne facultate sibi hac in parte attributa quoquo modo abutantur, ejus rei in districto Dei judicio rationem reddituri.

XIII. Dub. An eadem Constitutio qua parte supponit Episcopi jurisdictioni Regulares delinquentes circa personas degentes intra septa monasteriorum Monialium, aut circa clausuram, vel bonorum administrationem eorundem monasteriorum, habeat locum in omnibus delictis, an verò solum in notoriis, & cum scandalo populi?

Resp. Constitutionem habere locum in omnibus delictis, non autem in notoriis tantum, & cum populi scandalo.

Quæ Sacræ Congregationis Responsa ad se relata fel. record. Gregorius XV. & S. D. N. Vrbanus VIII. in omnibus approbarunt.

A. Cardinalis Cajetanus.

Prosper Fagnanus S. Congreg. Secret.

Romæ ex Typographia Rev. Camera Apost.
M. DC. XXIII.

XIV. Dub. An regularis absque legitima licentia accedens ad monasterium Monialium Regularibus subiectarum, ibique in loco colloquiis destinato cum Moniali colloquens, à Diœcesano Episcopo tanquam Sedis Apostolicæ delegato coërceri & puniri possit.

Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Trid. Interpretum censuit posse: quam Congregationis sententiam S. D. N. Vrbanus VIII. ad se relatam approbavit.

Cosmus Card. de Torres.

Locus † Sigilli.

Prosper Fagnanus S. Congr. Secret.

Romæ ex Typographia Rev. Camera Apost.
M. DC. XXV.

XV. Dub. An liceat Episcopo in vim Constitutionis sanctæ mem. Gregorij XV. de Exemptorum privilegiis punire Regulares, qui ad Abbatissæ electionem procedunt ante tempus ipsi Episcopo significatum, aut die electionis eidem nullatenus prænunciata.

Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Trid. Interpretum respondit, Regulares ex eadem Constitutione ita demum teneri Episcopo significare diem electionis Abbatissæ, eumque ad præfinitum tempus expectare, si antè ipse expressè declaraverit se uti velle facultate sibi hac in parte attributa, Abbatissarumque electionibus per se, vel per alium interesse ac præsidere. Post eam verò declarationem licere Episcopo animadvertere in Regulares, qui ante tempus significatum, aut die electionis eidem non prænunciata ad Abbatissæ electionem procedunt.

Cosmus Card. de Torres.

Locus † Sigilli.

Prosper Fagnanus S. Congr. Secret.

Romæ ex Typographia Rev. Camera Apost.
M. DC. XXVI.

DECRETA SACRÆ Congregationis Concilij,

SDN. Vrbani divinâ providentiâ Papæ VIII. auctoritate edita.

De Celebratione Missarum.

CVM sæpe contingat in quibusdam Ecclesiis tam magnum Missarum celebrandarum numerum ex variis defunctorum relictis, aut piorum eleemosynis impositum esse, ut illis pro singulis diebus præscriptis nequeat satisfieri, & tamen nova onera Missarum in dies suscipiantur, indeque fiat, ut depereant piæ testantium voluntates, obstricta benefactoribus fides violetur, defunctorum animæ suffragiis priventur, Ecclesiis debitus subtrahatur cultus, ac CHRISTI fideles gravi scandalo affecti plerumque à similibus charitatis operibus retrahantur. Cumque his malis maximum inter cætera fomentum præbeat, aut quod ij, qui Missas supra vires celebrandas suscipiunt, sperent illas brevi ad pauciorem numerum à Superioribus reductum iri; aut quod Ecclesiis, sorte pecuniarum absumpta plerumque nuda remaneant onera Missarum, absque ullo emolumento; aut quod eleemosyna pro illis celebrandis sit adeò tenuis, ut non facilè inveniantur, qui velint huic se muneri subiicere, & redditus Ecclesiæ, aut monasterij adeo sint exigui, ut Sacerdotes pro necessaria sua sustentatione novis se oneribus obstringere compellantur: Sacra Congregatio Card. Concil. Trid. Interpretum animadvertens, facturam se rem Deo gratissimam, charitatique ac justitiæ maximè consentaneam, si pro viribus satagat hunc deterrimum abusum è Christiana Republica convellere, atque eradicare: Sanctissimi D. N. Vrbani Divinâ providentiâ Papæ VIII. authoritate sibi specialiter attributa, infrascripta Decreta edidit.

I. Ac primò districtè prohibet, atque interdicit, ne Episcopi in Diœcesana Synodo, aut Generales in Capitulis generalibus, vel aliàs quoquo modo reducant onera ulla Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis; sed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis ad Apostolicam Sedem recurratur, quæ re diligenter perspecta, id statuet, quod magis in Domino expedire arbitrabitur, alioquin reductiones, moderationes, & commutationes hujusmodi, si quas contra hujus prohibitionis

prohibitionis formam fieri contigerit, omninò nullas, atque inanes decernit.

II. Deinde, ubi pro pluribus Missis, etiam ejusdem qualitatis celebrandis plura stipendia, quantumcunque incongrua, sive ab una, sive à pluribus personis collata fuerint, aut conferentur in futurum Sacerdotibus, Ecclesiis, Capitulis, Collegiis, Hospitalibus, Societatibus, Monasteriis, Conventibus, Congregationibus, Domibus, ac locis piis quibuscumque tam sæcularibus, quàm regularibus, Sacra Congregatio sub obtestatione Divini Iudicij mandat, ac præcipit, ut absolutè tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint; itaut alioquin ij, ad quos pertinet, suæ obligationi non satisfaciant; quinimò graviter peccent, & ad restitutionem teneantur.

III. Id verò ut deinceps observetur exactiùs, Sacra Congregatio eadem authoritate revocat Privilegia, & Indulta omnia quibusvis personis, Ecclesiis, ac Locis piis, tam Sæcularibus, quàm Regularibus, cujuscumque Ordinis, & Congregationis, & Instituti, quamcunque ob causam concessa, quibus indulgetur, ut certarum Missarum, vel anniversariorum celebratione, aut aliquibus collectis, seu orationibus plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat.

IV. Ac similiter omne damnabile lucrum ab Ecclesia removere volens, prohibet Sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eandem Missam alteri, parte ejusdem eleemosynæ sibi retenta, celebrandam committat.

Præterea, ne in Ecclesiis, in quibus onera Missarum in perpetuum imposita sunt, Sacerdotes in eis, ut par est, adimplendis eo tepidiores, ac segniores reddantur, quòd onera hujusmodi cum nulla, aut parva sint utilitate conjuncta; statuit, atque decernit, ut pecuniæ, ac bona mobilia Ecclesiis, Capitulis, Collegiis, Hospitalibus, Societatibus, Congregationibus, Monasteriis, Conventibus, ac locis omnibus, tam Sæcularibus, quàm Regularibus, atque illorum personis in futurum simpliciter acquirenda cum onere perpetuo Missarum celebrandarum, ab iis, ad quos pertinet, sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ ipso facto incurrenda à die realis acquisitionis statim deponi debeant penes ædem Sacram, vel personam fide, & facultatibus idoneam, ad effectum illa, seu illorum pretium quamprimùm investiendi in bonis immobilibus fructiferis, cum expressa, & individua mentione oneris, quod illis annexum reperitur: ac si eadem bona immobilia auctoritate Apostolica deinceps alienati contigerit, eorundem pretium sub eadem pœna, ut suprà, deponi, atque in aliis bonis stabilibus itidem fructiferis cum ejusdem oneris repetitione, atque annexione converti debeat.

V. Ad hæc S. Congregatio quibusvis Capitulis, Collegiis, Societatibus, & Congregationibus, necnon omnibus, & singulis Ecclesiarum, ac piorum locorum, tam sæcularium, quàm regularium Superioribus, vel aliis, ad quos pertinet, districtè prohibet, ne imposterum onera perpetua suscipiant Missarum celebrandarum, Sæculares quidem sine Episcopi, vel ejus generalis Vicarij, Regulares verò sine Generalis, vel Provincialis consensu, & licentia in scriptis, & gratis concedenda; alioquin Sæcularis, qui hujus prohibitionis transgressor extiterit, ab ingressu Ecclesiæ interdictus sit eo ipso: Regularis verò pœnam privationis omnium officiorum, quæ tunc ob inebit, ac perpetuæ inhabilitatis ad alia de cætero obtinenda, vocisque activæ, ac passivæ, absque alia declaratione incurrat. Eleemosynas verò manuales, & quotidianas pro Missis celebrandis ita demùm iidem accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera suscipere valeant; alioquin omninò abstineant ab hujusmodi eleemosynis, etiam spontè oblatis in futurum recipiendis; & capsulas auferant ab Ecclesiis cum inscriptione illa: *Eleemosyna pro Missis*, vel alia simili, sub iisdem pœnis ipso facto incurrendis, ne fideles hac ratione frustrentur. Episcopus verò, seu ejus Vicarius, aut Generalis, vel Provincialis, ubi de licentia pro perpetuis oneribus fuerint requisiti, in singulis casibus diligenter inquirant de singulis Missarum celebrandarum obligationibus cuique Ecclesiæ, Monasterio, aut loco pio incumbentibus; nec antea assensum hujusmodi, aut licentiam præbeant, quàm eis legitimè constiterit, illius Sacerdotes, tam novo oneri suscipiendo, quàm antiquis jam susceptis satisfacere posse, præcipuamque rationem habeant, ut redditus, qui Ecclesiis, & locis piis relinquantur, omninò respondeant oneribus adjunctis, secundum morem cujusque Civitatis, vel Provinciæ, intelligantque si in re tanti momenti desides, aut negligentes fuerint, in Novissimo die se hujus prætermissi muneris rationem esse reddituros.

VI. Postremò Illustriss. Patres, non sine gravi animi dolore intelligentes, mala ferè omnia, quæ Regularem disciplinam evertunt, ac præcipuè nimiam hanc facultatem fovent in oneribus Missarum supra vires suscipiendis, veluti ex infecta radice, pullulare ex majori Regularium numero, quàm ferant redditus, & eleemosynæ cujusque Monasterij, inhærentes Summorum Pontificum, ac S. Tridentini Concilij decretis hac de re editis, Sanctissimi D. N. autoritate præcipiant, ac mandant omnibus, & singulis Generalibus, Provincialibus, Commissariis, Ministris, Præsidentibus, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Guardianis, Vicariis, & quibuscunque aliis Superioribus Monasteriorum, Conventuum, ac Domorum regularium bona immobilia possidentium, vel non possidentium, cujuscumque Ordinis, Congregationis, & Instituti existentium intra fines Italiæ, & Insularum adjacentium, ut singuli ad quos pertinet, in qualibet Provincia, adhibitis duobus, aut tribus Regularibus sui Ordinis, vel Congregationis probatioribus, & rerum usu peritioribus, bona immobilia, census, redditus, & proventus omnes, consuetas item eleemosynas, & obventiones, tam communes Monasteriorum, Conventuum, & Domorum ejusdem Provinciæ, quàm etiam singularibus personis religiosis assignatas, seu permissas, in communem usum deinceps conferendas, decem annorum immediatè præcedentium habita ratione, diligenter, & maturè recognoscant, iis omnibus detractis, quæ reparationes, præstationes, grandines, sterilitates, aliáve cujuslibet generis onera consueverunt absorbere, eáque omnia scripto fideliter exarata idem Superior, cujus interest, in proximo Capitulo, seu Congregatione generali, vel provinciali, coram tribus Iudicibus ab ipsomet Capitulo, seu Congregatione deligendis proponat, qui computatis hujusmodi redditibus, eleemosynis, & obventionibus universis, & oneribus ut suprà detractis, sedulò examinent, quot Religiosi homines, connumeratis etiam laïcis, aliisque necessariis servientibus, in unoquoque Monasterio, Conventu, & Domo regulari juxta regionis, & proprij instituti morem, victum, & vestitum, & medicinalia in communi habentes, competenter valeant sustentari. Tum eorundem bonorum, redditnum, eleemosynarum, & onerum præcisam notam ipsimet Capitulo, seu Congregationi exhibeant, ut in illo diligenter omnibus discussis, in cujusque familia Monasterij, Conventus, ac Domus regularis in singula quaque provincia certus earum tantum personarum numerus Patrum capitularium voto præfigatur, quæ de redditibus, eleemosynis, & obventionibus, ut superiùs, sufficienter ali possint. Ne verò Superiores, qui id præstare debent, segniùs, aut remissiùs, quàm par est, suo muneri satisfa-

satisfaciant, mandat Sacra Congregatio, ut infra annum post proximum Capitulum generale, vel provinciale computandum, omnia hoc de genere capitulariter gesta, in authenticam formam redacta ad Sacram ipsam Congregationem Concilij singuli mittant, numerúmque familiæ, singulorumque Conventuum, Monasteriorum, & Domorum hujusmodi regularium, Capituli, seu Congregationis generalis, vel provincialis sententia, & auctoritate præfinitum, iidem Superiores, tam Generales, & Provinciales omnes, quàm locales perpetuò servare omninò teneantur, nec possint illum quoquo modo augere, etiam prætextu augmenti redditiuum, absque Sacræ Congregationis licentia. Superiores autem hujusmodi, qui prædicta omnia in præfixo termino non præstiterint, vel numerum, ut suprà præscriptum quovis modo augere præsumpserint, privationis omnium officiorum, quæ tunc temporis obtinebunt, vocisque activæ, ac passivæ, & ad omnia suæ religionis officia, & gradus inhabilitatis perpetuam pœnam eo ipso incurrere, atque aliis etiam gravioribus à Sede Apostolica infligendis pœnis Sacra Congregatio subiacere voluit, & declaravit.

VII. Deinceps verò Monasterium, Conventus, Domus, Congregatio, Societas Religiosorum, seu Regularium nullibi recipiatur, nisi præter alia ad id requisita, in singulis ejusmodi locis duodecim saltem fratres, aut Monachi, seu Religiosi, degere & ex redditibus, & consuetis eleemosynis, detractis omnibus, ut supra detrahendis, competenter sustentari valeant, ad præscriptum decreti fœl. rec. Gregor. XV. hac de re editi. Alioquin Monasteria, & loca hujusmodi posthac recipienda, in quibus duodecim Religiosi, ut suprà, sustentari, atque inhabitare non poterunt, & actu non inhabitaverint, Ordinarij loci visitationi, correctioni, atque omnimodæ jurisdictioni subjecta esse intelligantur.

Porrò ne ullo unquam tempore hæc in oblivionem, seu desuetudinem abeant, Superiores locales cujusque Monasterij, Conventus, ac Domus regularis curare, atque efficere teneantur sub pœna privationis officij, vocisque activæ, & passivæ ipso facta incurrenda, ut in perpetuum sexto quoque mense, id est feria secunda post primam Dominicam Adventus, & feria sexta post Octavam Corporis Christi præsentes Ordinationes in publica mensa perlegantur. Omnibus tam Ecclesiasticis personis, cujuscunque sint ordinis, conditionis, & gradus, quàm laïcis quocumque honore, ac potestate præditis, præsentia Decreta declarandi, vel interpretandi facultate penitùs interdicta.

Non obstantibus quoad suprascripta omnia, & singula in præsentibus Decretis contenta, Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis in favorem quarumcunque personarum, atque Ordinum, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, Militiarum etiam S. Ioannis Hierosolymitani, Congregationum, Societatum, ac cujuslibet alterius Instituti, etiam necessariò & in individuo exprimendi, Ecclesiarum, Monasteriorum, Conventuum, Collegiorum, Capitulorum, Hospitalium, Confraternitatum, & aliorum quorumcunque, tam Sæcularium, quàm Regularium locorum, necnon illorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, etiam Mari magno, seu Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, aut cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus decretis, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet etiam per viam communicationis, seu extensionis concessis, & iteratis vicibus approbatis & innovatis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus & formis specialis, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda esset, tenores hujusmodi ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata inserti forent, præsentibus pro expressis habentes, quibus quoad ea quæ præsentibus adversantur, illis aliàs in suo robore permansuris, Sacra Congregatio Sanctitatis Suæ auctoritate specialiter & expressè derogat, cæterisque contrariis quibuscumque.

Et ne præmissorum ignorantia à quoquam prætendi possit, voluit eadem S. Congregatio, ut præsentes ordinationes in valvis Basilicarum S. Ioannis Lateranensis, & Principis Apostolorum de Vrbe, & in acie Campi Floræ, ut moris est, affixæ omnes ad quos pertinet ita arctent & afficiant, ac si unicuique personaliter intimatæ fuissent. Vtque earumdem præsentium transsumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ die 21. Iunij 1625.

Cosmus Card. de Torres.

Locus † Sigilli.

Prosper Fagnanus S. Congr. Secret.

Anno Domini Nostri Iesu Christi M. DC. XXV. indictione octava, Pontificatus autem in Christo Patris, ac D.N. D. Vrbani divina Providentia Papæ VIII. anno ejus III. die verò 22. mensis Septembris suprascripta decreta affixa & publicata fuerunt ad valvas Basilicarum Sancti Ioannis Lateran. & Principis Apostolorum de Vrbe, ac in acie Campi Floræ, ut moris est, per nos Camillum Fundatum, & Fabium Æmilianum Sanctissimi D.N. Papæ Cursores.

Brandimartes Latinus prælibati Sanctissimi D. N. Papæ ac S. Rom. & universalis Inquisitionis cursor, pro Mag. DD. Curs.

Romæ ex Typographia Rev. Cameræ Apost. M. DC. XXV.

Declarationes aliquot Sacræ Congregationis Concilij S. D. N. Vrbani Papæ VIII. auctoritate editæ super decretis ejusdem Congregationis de celebratione Missarum.

SAcra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum, auctoritate sibi à Sanctissimo D. N. attributa ad singula dubia inferiùs proposita ad hunc modum respondit.

Super primo Sacræ Congregationis decreto de celebratione Missarum, quo prohibetur ne Episcopi in Diœcesana Synodo, aut Generales in Capitulis generalibus, vel aliàs quoquo modo reducant onera ulla Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis.

Quæritur quid si legatum sit ita tenue, ut non sit qui velit onus illi injunctum subire, & si recurrendum sit ad Sedem Apost. pro moderatione oneris, totum, aut ferè totum insumendum sit pro expensis ad id necessariis; & quid si permittatur Episcopo in fundatione ut possit hujusmodi onera moderari?

Resp. Etsi legatum sit adeo tenue, nihilominus pro reductione oneris, ut suprà impositi ab iis ad quos pertinet, Sedem Apost. esse adeundam, quæ absque ulla impensa statuet quod magis in Domino è re esse judicaverit. Verumtamen si in ipsa beneficij erectione expressè cautum fuerit, ut liceat Episcopo injunctum onus reducere ac moderari, legem hanc fundationis

fundationis quam decreta hac de re edita non sustulerunt, esse validam & observandam.

Secundò super II. ejusdem Congregationis decreto quo cavetur, ut celebrentur tot Missæ, quot ad rationem tributæ eleemosinæ præscriptæ fuerint, quæritur, an verba illa, præscriptæ fuerint, *intelligenda sint de præscriptione facta ab offerente, vel ab Ordinario?*

Resp. Esse intelligenda de præscriptione facta ab eo, qui eleemosynam tribuit, non autem ab Ordinario: quod si tribuens eleemosynam numerum Missarum celebrandarum non præscripserit, tunc tot Missas celebrari debere, quot præscripserit Ordinarius secundùm morem suæ Civitatis, vel Provinciæ.

Tertiò, an cùm Ordinarius præscripserit eleemosynam congruam juxta qualitatem loci, personarum, ac temporum, Sacerdotes accipientes stipendium minus congruum teneantur Missas ab offerente præscriptas celebrare?

Resp. Teneri.

Quartò, an Sacerdotes qui tenentur Missas celebrare ratione beneficij, seu capellæ, legati aut salarij, possint etiam manualem eleemosynam pro Missis votivis, aut defunctorum recipere, & unico Missæ Sacrificio utrique oneri satisfacere?

Resp. Sacerdotes quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione beneficij, seu capellæ, legati, aut salarij, si eleemosynas pro aliis etiam Missis celebrandis susceperint, non posse eadem Missa utrique obligationi satisfacere.

Quintò posito quod testator relinquat ut celebrentur pro ejus anima centum Missæ absque ulla præscriptione eleemosynæ, quæritur an liberum sit hæredibus eleemosynam sibi bene visam præscribere an verò eadem eleemosyna præscribenda sit ab Ordinario?

Resp. Ubi nullam certam eleemosynam testator reliquit, esse ab Episcopo præscribendam eleemosynam congruam, quæ respondeat oneribus Missarum celebrandarum secundùm morem Civitatis, vel Provinciæ.

Sextò super III. Congregationis decreto, in quo eadem Congregatio revocat privilegia, quibus indulgetur ut certarum Missarum, vel anniversariorum celebratione, aut aliquibus collectis, seu orationibus plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat, Quæritur, an verba, in futurum suscipiendis, *intelligenda sint de oneribus suscipiendis post privilegium?*

Resp. Ita esse intelligenda.

Septimò super IV. ejusdem Congregationis decreto, quo prohibetur Sacerdoti, qui Missam suscipit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eandem Missam alteri, parte ejusdem eleemosynæ sibi retenta, celebrandam committat: Quæritur, an permittendum sit administratoribus Ecclesiarum ut retineant aliquam eleemosynarum portionem pro expensis manutentionis Ecclesiæ, altarium, inservientium, paramentorum, luminum, vini, hostiæ, & similium?

Resp. Permittendum non esse ut Ecclesiæ ac loca pia, seu illorum administratores ex eleemosynis Missarum celebrandarum ullam utcumque minimam portionem retineant ratione expensarum, quas subeunt in Missarum celebratione, nisi cùm Ecclesiæ, & loca ipsa alios non habent redditus, quos in usum earumdem expensarum erogare licitè possint, & tunc quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expensarum, quæ pro ipsomet tantùm Missæ Sacrificio necessariò sunt subeundæ; & nihilominus eo etiam casu curandum esse, ut ex pecuniis, quæ supersunt, expensis ut suprà deductis, absolutè tot Missæ celebrentur, quot præscriptæ fuerint ab offerentibus eleemosynas.

Octavò, an hoc decretum habeat locum in beneficiis, quæ conferuntur in titulum: idest, an Rector beneficij, qui potest per alium celebrare, teneatur Sacerdoti celebranti dare stipendium ad rationem redditum beneficij?

Resp. Non habere locum, sed satis esse ut Rector beneficij, qui potest Missam per alium celebrare, tribuat Sacerdoti celebranti eleemosynam congruam secundùm morem Civitatis, vel Provinciæ, nisi in fundatione ipsius beneficij aliud cautum fuerit.

Nonò, an Sacerdotes, quibus aliquando offertur eleemosyna major solitâ pro celebratione Missæ, debeant dare eandem integram eleemosynam iis, quibus Missas celebrandas committunt, an verò satis sit, ut dent celebrantibus eleemosynam consuetam?

Resp. Debere absolutè integram eleemosynam tribuere Sacerdoti celebranti, nec ullam illius partem sibi retinere posse.

Decimò super V. ejusdem Congregationis decreto, quo inter cætera statuitur in hæc verba: Eleemosynas verò manuales, & quotidianas pro Missis celebrandis ita demum iidem accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera obire valeant, alioquin omnino abstineant ab hujusmodi eleemosynis etiam spóte oblatis in futurum recipiendis, & capsulas auferant, &c. *Quæritur an hoc decretum prohibeat absolutè quo minus accipiant novas eleemosynas ij, qui acceptis non satisfecerunt, & quid si congruo tempore possint omnibus satisfacere.*

Resp. Non prohibere absolutè, ac propterea etsi oneribus jam susceptis non satisfecerint, posse tamen nova etiam onera suscipere Missarum celebrandarum, dummodo infra modicum tempus possint omnibus satisfacere.

Undecimò, quid si offerens eleemosynas audito impedimento consentiat, ut Sacerdos Missam celebret cum primùm poterit?

Resp. Quamvis onera suscepta infra modicum tempus adimpleri nequeant, si tamen tribuens eleemosynam pro aliarum Missarum celebratione id sciat, & consentiat, ut illæ tunc demùm celebrentur, cùm susceptis oneribus satisfactum fuerit, decretum non prohibere quominus eo casu eleemosyna accipiatur pro iisdem Missis juxta benefactoris consensum celebrandis.

Duodecimò, an pœnæ Interdicti & aliæ apposita in eodem decreto, afficiant tam eos qui accipiunt eleemosynas contra formam ibi præscriptam, quàm eos, qui non auferunt capsulas ab Ecclesiis, ut ibidem præcipitur.

Resp. Has pœnas non habere locum, nisi in suscipientibus onera perpetua Missarum celebrandarum sine licentia Episcopi, seu ejus generalis Vicarij, aut Generalis, vel Provincialis.

Decimotertiò, an in hoc decreto comprehendantur illæ capsulæ, quæ apponi solent in Ecclesiis in die Commemorationis omnium Sanctorum, & vulgò dicuntur, Casse de morti?

Resp. Comprehendi

Decimoquartò, an administratores Ecclesiæ magnæ devotionis, & concursus possint eleemosynas pro Missis celebrandis accipere, si iisdem Missis nonnisi post longum tempus satisfacere valeant, ne aliàs cultus Ecclesiæ, & devotio, ac concursus fidelium, ut aiunt, minuantur?

Resp. Non posse nisi de consensu eorum, qui eleemosynas tribuunt, ut suprà in responsione ad undecimum.

Decimoquintò, quia prohibitio dicti decreti videtur aliquibus directa solis Capitulis, Collegiis, Societatibus, Congregationibus, necnon omnibus & singulis Ecclesiarum, & piorum locorum, tam secularium, quàm Regularium Superioribus, de quibus fit expressa mentio, non autem privatis Sacerdotibus, qui tamen comprehendi videntur sub clausula generali, & aliis ad quos pertinet, *supplicatur pro opportuna declaratione.*

Resp. Comprehendi etiam privatos Sacerdotes.

Decimosextò, super VII. ejusdem S. Congregationis decreto,

decreto quo cavetur, ut in singulis Monasteriis Religiosorum præfiguratur numerus, qui ex consuetis redditibus aut eleemosynis commodè possit sustentari: Quæritur, an ubi hæc præfixio facta jam fuit in vim similis decreti sanctæ mem. Pauli V. absque tamen computatione redditum cujusque Religiosi, sit denuò facienda, necne?

Resp. Numeri præfixionem esse iterum faciendam, servata forma ultimi decreti hac de re editi.

Decimoseptimò, an novitij ad habitum Regularem admissi, possint admitti ad professionem in Monasteriis, in quibus, habita ut suprà, præfixione numeri, commodè ali non possunt.

Resp. Esse admittendos ad professionem, si aliàs habiles existant, ac deinde in aliquo alio Monasterio ejusdem Religionis esse collocandos ubi commodè ali possint.

Decimooctavò super ultimo, quo cavetur, ut nulli recipiantur Conventus Regularium, nisi præter alia ad id requisita duodecim saltem fratres in eis degere, & competenter sustentari valeant, itaut alioquin subsint jurisdictioni Ordinarij: Quæritur, an hoc decretum, quod videtur editum in ordine ad celebrationem Missarum, comprehendat eas Religiones, quæ non consueverunt onera Missarum recipere, ut sunt Religiones Capuccinorum, ac Societatis Jesu?

Resp. Comprehendere.

Ultimò, an idem decretum ubi disponit, ut nullibi recipiantur Monasteria, nisi, &c. habeat locum in Italia dumtaxat, ad quam est restrictum decretum proximè antecedens, an verò etiam extra Italiam?

Resp. Habere locum etiam extra Italiam.

Cosmus Card. de Torres.

Locus † Sigilli.

Prosper Fagnanus S. Congr. Secret.

Romæ ex Typographia Rev. Cameræ Apost.
M. DC. XXVI.

DECRETA SACRÆ

Congregationis Concilij,

S. D. N. D. Urbani Papæ VIII. jussu edita.

De Regularibus apostatis & ejectis.

SACRA Congregatio Cardinalium Concilij Trident. Interpretum Regularium ejectorum, & fugitivorum statui consulere, illorúmque scandala summovere, & succrescentem numerum frangere operæpretium existimans, auditis Religionum Superioribus, atque diligentissimè re perpensa, communicato etiam consilio cum S. D. N. Urbano VIII. atque ex peculiari Sanctitatis suæ facultate infrascripta edidit.

Ac primò, ut infecta semina, è quibus pravi ejusmodi fructus potissimùm prodeunt, deinceps ne serantur in vinea Domini, censuit esse innovandas, & Sanctissima auctoritate innovat constitutiones, & decreta generalia sanctæ mem. Clementis VIII. ad Regularium reformationem, ac novitiorum receptionem, professionem, atque institutionem spectantia, districtéque præcipit Generalibus, atque aliis omnibus Ordinum Superioribus ut illa exactè observent, atque ut observentur efficiant sub pœnis statutis in iisdem Constitutionibus. A quibus tamen excipiendum censuit caput illud, quo decernitur, ne in Conventibus, seu Monasteriis ad novitios recipiendos hactenus designatis, & approbatis, seu in posterum designandis, & approbandis, novitij ad habitum nullatenus recipi possint, nisi priùs à Congregatione Reformationis Apost. vel à propriis locorum Ordinariis expressè, & nominatim approbati fuerint. A cujus quidem decreti observantia Sacra Congregatio justis de causis censuit Regulares esse absolvendos, prout auctoritate Sanctissimi Domini nostri absolvit, atque eximit.

Deinde ut apostatandi opportunitas Regularibus præripiatur statuit ut de cætero nullus permittatur ad arctiorem Religionem transire, nisi priùs Superiori legitimè constiterit eam Religionem paratam esse illum recipere, qui licentiam petit, tuncque Regularis rectà se transferat ad arctiorem. Quo ut reipsa adimpleatur, idem Superior omni studio, ac diligentia invigilet.

Rursus statuit, ut fugitivi, & apostatæ, sive habitum Regularem deferant, sive non, possint ac debeant ab Episcopo loci, ubi moram trahunt, in carceres conjici, ac Superioribus Regularibus consignari secundùm Regularia instituta puniendi, utque ipsi quoque Superiores teneantur eos perquirere, ad Religionem reducere, atque efficere ut apprehendantur, salva tamen in omnibus facultate Ordinariis locorum attributa decreto Concilij *cap. 3. sess. 6.* Quòd si apostatæ hujusmodi citra montes infra quatuor, ultra montes verò infra octo menses à præsentis decreti publicatione inchoandos sua sponte ad suam quisque Religionem redierit, tum pœnarum omnium ipsis propter apostasiam inflictarum, aut infligendarum remissionem, atque impunitatem assequantur; ita tamen ut debeat à Superiore absolutionem humiliter petere, & coram eodem culpam fateri, atque emendationem polliceri; Superior verò è contra benignè illos teneatur excipere, ab hujusmodi pœnis absolvere, & paterna charitate amplecti.

Ad hæc, ut in posterum è Religionibus nullus legitimè professus ejici possit, nisi sit verè incorrigibilis; verè autem incorrigibilis minimè censeatur, nisi non solùm concurrant ea omnia, quæ ad hoc ex juris communis dispositione requiruntur, sublatis hac in parte Statutis, & Constitutionibus cujusque Religionis, & Ordinis, etiam à Sede Apost. approbatis, & confirmatis; verùm etiam unius anni spatio in jejunio, & pœnitentia probetur in carceribus, proindéque unaquæque Religio privatos habeat carceres in qualibet saltem Provincia. Elapso autem anno, si nihilominus non resipuerit, sed animo indurato in sua pervicacia perseveraverit, ne contagione pestifera plurimos perdat, tanquam pecus morbida, ac membrum putre ejici tandem possit, sed ab ipsomet Generali tantum de concilio, & assensu sex Patrum ex gravioribus Religionis eligendis in singulis Capitulis, vel Congregationibus generalibus, tumque nonnisi instructo secundùm eorum stylum, & Constitutiones processu, & plenè probatis causis expulsionis ad Sacrorum Canonum præscriptum. Interea tamen usque ad primum generale Capitulum, seu Congregationem proximè celebrandam, si quempiam ex justis, & necessariis causis expellere oportebit, ejectio fieri possit à Generali cum consilio, & assensu sex Patrum, ut suprà, quos idemmet Generalis eligere debeat infra quatuor menses à præsentis decreti publicatione, servata tamen in reliquis forma superiùs præscripta. Sic verò ejecti, quãdiu non redierint ad Religionem, in habitu clericali incedant, atque Ordinarij loci jurisdictioni, & obedientiæ subsint, proindéque Generalis illicò expulsionis sententiam eidem Ordinario notificare teneatur. Cæterùm Sacra Congregatio Religionum Superiores seriò admonet, ac per Jesu Christi viscera obtestatur, ut memores paternæ charitatis, & mansuetudinis, quam profitentur, nihil intentatum relinquant, ut lucrentur animas fratrum suorum, ferè in profundum malorum delapsas, antequam gravissimum atque extremum

tremum expulsionis remedium experiantur. Idque eo magis quod subditorum sanguinem, qui ex malo negligentium, & sui officij immemorum Prælatorum regimine peribunt, Dominus noster Iesus Christus in supremo Dei judicio de eorumdem Prælatorum manibus sit requisiturus.

Præterea statuit, ut iidem Superiores nemini ex Religiosis expulsis litteras testimoniales concedant illos ad Sedem Apost. rejicientes, vel jubentes aliam ingredi Religionem.

Item ut ejecti extra Religionem degentes sint perpetuò suspensi ab exercitio Ordinum, sublata Ordinariis locorum facultate dictam suspensionem relaxandi, ac moderandi.

Ac postremò censuit esse innovandam, & Suæ Beatitudinis auctoritate innovat Constitutionem felicis mem. Gregorij IX. relatam in cap. fin. extra. de Regular. ac præterea declarat eam Constitutionem in iis quoque vendicare sibi locum, servandamque esse, qui justè, diffinitivéque, ac juris ordine servato expulsi fuerint, dummodo tamen in expulsis hujusmodi subsit spes evidens emendationis ex litteris saltem testimonialibus Ordinarij, cujus conscientiam in his litteris concedendis Sacra Congregatio seriò oneravit.

Ne qua verò difficultas in suprascriptis decretis, & ordinationibus exequendis suboriatur, Sacra Congregatio Sanctissimo Domino Nostro annuente, atque approbante, universis Generalibus, Provincialibus, Commissariis, Ministris, Præsidentibus, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Guardianis, Vicariis, & quibuscumque aliis Superioribus quorumcunque Ordinum, vel Congregationum, Monasteriorum, Conventuum, Collegiorum, Domorum, ac locorum Regularium ubique locorum existentium injungit, serióque mandat, ut illa diligenter observent, atque observari procurent in omnibus Cœnobiis, ac Monasteriis, Collegiis, & Domibus quorumcunque Monachorum, ac Regularium ubique locorum existentibus, efficiantque, ut tam decreta supradicta felicis record. Clementis VIII. quàm præsentes Ordinationes in singulis ejusmodi locis bis saltem in anno legantur in publica mensa.

Si quis verò ipsorum adversus ea, quæ superius suprascripta sunt, vel eorum aliquid quoquo modo jacere, vel moliri præsumpserit, ipso facto pœnam incurrat privationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, vocisque activæ, & passivæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa in posterum obtinenda, pœnaque hujusmodi sit Sanctitati Suæ, ac Sedi Apost. reservata, iisdem Superioribus etiam Generalibus, & Protectoribus illam moderandi, seu relaxandi potestate penitùs interdicta; & nihilominus sit irritum & inane quicquid secus à quoquam actum extiterit. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis in favorem quarumcunque personarum, atque Ordinum, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, Congregationum, Monasteriorum, Conventuum, Domorum, ac locorum Regularium quorumcunque, necnon illorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboraris statutis, vel consuetudinibus etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indultis, & privilegiis etiam in corpore juris clausis, aut ex causa, vel titulo oneroso, vel in limine fundationis concessis, etiam Mari Magno, seu Bulla Aurea, aut aliàs nuncupatis, sub quibuscumque tenoribus & formis, & cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus Decretis, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis, seu extensionis concessis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis specialis, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda esset, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitùs omisso, & forma in illis tradita observata inserti forent, præsentibus pro expressis habentes, quibus quoad ea, quæ suptadictis quomodolibet adversantur, illis aliàs in suo robore permansuris, specialiter, & expressè Sanctitatis Suæ auctoritate derogat, cæterisque contrariis quibuscumque. Dat. Romæ die 21. Septembris 1624.

Cosmus Card. de Torres.

Locus † Sigilli.

Prosper Fagnanus S. Congr. Secret.

Romæ ex Typographia Rev. Cameræ Apostol. M. D C. X X I V.

DECRETUM SACRÆ Congregationis Rituum ubique observandum.

De non addendis Kalendario & Missali Sanctorum Officiis adhuc non concessis, & Missis non approbatis.

SACRA Rituum Congregatio ad tollendos abusus, qui variis in locis irrepserunt, re maturè discussa censuit, & decrevit.

Primò non potuisse, nec posse locorum Ordinarios, tam sæculares, quàm Regulares, addere Kalendariis etiam propriis Sanctorum Officia, nisi ea duntaxat quæ Breviarij Romani rubricis, vel Sacræ Rituum Congregationis, seu Sedis Apostolicæ licentiâ conceduntur.

Insuper vetuit, & prohibuit celebrari per totam Civitatem, vel Diœcesim, etiam de cujusque Ordinarij auctoritate Missam, vel festum cum Officio de Sancto, eò quòd in loco adsit Ecclesia Parochialis, vel Regularis, aut aliqua Reliquia, sed tantùm in ipsius Sancti Ecclesia titulari, seu ubi asservatur insignis Reliquia, & non alibi.

Insignes autem Reliquias declaravit esse Corpus, Caput, Brachium, Crus, aut illam partem Corporis, in qua passus est Martyr, modò sit integra, & non parva, & legitimè ab Ordinariis approbata.

Missas item, quæ circumferuntur à Sacra Congregatione non approbatas, Sancti Gregorij pro Vivis, & Defunctis, XV. Auxiliatorum, & de Patre æterno, & quascumque alias, exceptis quæ sunt permissæ Regularibus tantum, veluti Rosarij, Sanctæ Mariæ de Carmelo, & alias, sicut etiam Officia ab eadem approbata prohibuit, rejecit omninò, & damnavit respectivè, & pro prohibitis, rejectis, & damnatis haberi voluit.

Quæ omnia decrevit, statuit, & mandavit sub pœnis contentis in Bullis Pij V. initio Breviarij, & Missalis positis, quod scilicet non satisfaciant muneri recitandi divini Officij; quo verò ad utentes supradictis Missis, sub aliis pœnis contentis in Indice librorum prohibitorum ex decreto S. Concilij Tridentini edito.

Et ne præmissorum ignorantia ullo unquam tempore possit ab aliquo prætendi, neque oblivio possit irrepere, eadem Sacra Congregatio voluit, & mandavit decreta hujusmodi affigi in Sacristiis omnium Ecclesiarum, tam Sæcularium, quàm Regularium, etiam Patriarchalium, Metropolitanarum, Cathedralium, Collegiata

Collegiatarum, & alium quarumcunque, in eisque perpetuò affixa asservari.

Facta demùm relatione horum decretorum Sanctissimo S. N. D. Urbano Papæ VIII. idem Sanctissimus ea laudavit, approbavit, atque ab omnibus ubique sub prædictis pœnis servari præcepit. In quorum fidem manu, & sigillo Illustrissimi & Reverendissimi D. Cardinalis Deti præsens decretum signatum, & munitum fuit, die 8. Aprilis 1628.

Ioannes Baptista Card. Detus.

Locus † Sigilli.

F. Fulvius Benignus, Secret.

Romæ ex Typographia Rev. Cameræ Apost. M. DC. XXVIII.

DECRETUM SACRÆ CONgregationis Concilij, quod in collatione Parochialis Ecclesiæ jurispatronatus mixti non requiritur forma examinis per concursum.

SACRA Cardinalium Congregatio Concilij Tridentini Interpretum censuit in collatione Parochialis Ecclesiæ jurispatronatus mixti non requiri formam examinis per concursum, sub die 5. Februarij 1628. *Vidi & legi originale proprium, quod asservatur apud D. Iulianum Vivianum Pisanæ Ecclesiæ Decanum, de quo ipse meminit in fine suæ praxis Iurispatronatus novissimè editæ, & ideò secundùm hoc decretum corriges, & emendabis quæ cum communi Doctorum opinione dixi suprà* alleg. 58. n. 17.

S. D. N.

D. URBANI DIVINA providentiâ Papæ VIII.

CONSTITVTIO.

Contra Ordinantes, & malè Ordinatos.

Urbanus Papa VIII. ad perpetuam rei memoriam.

SECRETIS æternæ providentiæ consiliis, nullo nostrorum suffragio meritorum, Speculatores Domus Israël, in sublimi Apostolatûs culmine constituti, eò potissimùm Pontificiæ sedulitatis officia convertenda esse arbitramur, ut qui in sortem Domini vocantur, Christique Militiæ dant nomen, spiritualem Ecclesiæ tranquillitatem non perturbent, sed pacem confirment, vires augeant, ac tam strenuè se gerant, ut ipsam terribilem, quasi castrorum aciem ordinatam, inferæ potestates, ac Principes tenebrarum quotidie magis perhorrescant. Hæc autem quanto impensiùs fieri optamus, tanto majori indignatione irreligiosam quorumdam impudentiâ detestamur, ac sacrilegam temeritatem execramur, qui sacros Canones, Summorumque Pontificum decreta non verentes, Clericales Ordines illegitimè suscipiunt, ac dum in Ecclesiasticorum ministrorum cœtum per nefas irrepunt, Dei cultui, animarum saluti, omnibusque ad optimum Christianæ Reipublicæ regimen pertinentibus, plurimùm obesse noscuntur. Aliàs siquidem fel. record. Clemens Papa IV. prædecessor noster volens periculis animarum eorum obviare, qui vinculo excommunicationis adstricti, aut apostatæ, seu irregulares, vel aliàs Ordinum sacrorum susceptione indigni, suam patriam, in qua de his haberetur notitia, fugientes, se in remotis partibus faciebant ad hujusmodi Ordines promoveri, statuit ut nullus Episcoporum Italiæ de cætero aliquem Vltramontanum Clericum ordinare præsumeret, nisi ab eodem Clemente prædecessore, vel ab Episcopo, de cujus Diœcesi traxerat originem ordinandus, vel in cujus Diœcesi Beneficiatus existebat, per ejus patentes litteras causam rationabilem continentes, quare ipsum nolebat, aut nequibat ordinare, specialem licentiam haberet; eos verò, quos contra præmissa contigisset ordinari, manere voluit absque spe dispensationis super hoc à Sede Apostolica obtinendæ suspensos, ac ordinantes condigna pœnitentia puniri. Cùm autem non sine gravi animi nostri molestia Nobis innotuerit, quamplures Ultramontanos suæ salutis immemores, Deique timore postposito, ad Ordines prædictos cum falsis Dimissorialibus litteris, seu etiam cum titulo patrimonij ficto, vel fiduciario, seu etiam falso, cum maximo bonorum omnium scandalo se promoveri fecisse. Nos innumeris, quæ ex minùs canonica Clericorum ordinatione hujusmodi proveniunt, malis quantum Nobis ex Alto conceditur providere volentes, prædictam Clementis prædecessoris Constitutionem, cum omnibus & singulis in ea contentis approbantes, & innovantes, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis in Italia existentibus tenore præsentium prohibemus, ne quovis prætextu, & ex quacumque causa Hispanos, Lusitanos, Gallos, vel Germanos, aliosque quoscunque Ultramontanos, & ex quibusvis locis extra Italiam oriundis, non solùm ad Sacros, sed neque etiam ad minores Ordines, vel Clericalem characterem promovere audeant, seu præsumant, nisi dimissoriales suorum Ordinariorum litteras à nostris, & hujus Sanctæ Sedis Nuntiis, seu Collectoribus in illis partibus commorantibus recognitas, probatas, & subscriptas habeant, eorumdémve Nuntiorum, seu Collectorum subscriptiones à dilecto filio nostro in Alma Urbe Vicario in spiritualibus generali similiter examinatæ, recognitæ, & probatæ fuerint, aliàs promoventes ad annum ab exercitio Pontificalium, promoti verò perpetuæ suspensionis pœnam, absque spe dispensationis à Sede Apostolica obtinendæ incurrant eo ipso. Insuper promotos hujusmodi, ac etiam eos, qui cum falsis, vel fictis, aut fiduciariis patrimonij titulis scienter se ad Ordines hujusmodi promoveri fecerint, non solùm prædictis, verùm etiam majoribus arbitrio nostro, & pro tempore existentis Romani Pontificis infligendis pœnis: Italos verò, si quos in posterum Clericali charactere insigniri, vel ad minores Ordines promoveri ab alieno Episcopo cum falsis dimissoriis contigerit, etiamsi qualitatibus per Concil. Trident. Decretum *cap. 17. sess. 23.* requisitis præditi sint; nihilominus, sequuta tamen prius desuper Iudicis Ecclesiastici declaratione, fori privilegio minimè gaudere, sed sæculari jurisdictioni, ut antea, plenè in omnibus subjacere, & subjectos esse respectivè volumus, sicque, & non aliter, per quoscumque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane si secus super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Per præsentes autem constitutioni rec. mem. Pij Papæ II. prædecessoris nostri contra malè promotos editæ nullatenus derogare intendimus, sed illam cum omnibus, & singulis in ea contentis, in suo robore, & efficacia

cacia permanere, perindè ac si præsentes non emanassent, decernimus. Ut autem præsentes litteræ ad omnium notitiam facilùs devenire possint, volumus quod illæ, sive earum exempla in valvis Basilicarum Sancti Ioannis Lateranen. ac Principis Apostolorum de Urbe, & Cancellariæ Apostolicæ, necnon in acie Campi Floræ, ut moris est, affixæ omnes & singulos, quos illæ concernunt, perinde arctent, & afficiant, ac si unicuique personaliter intimatæ fuissent, quodque earundem transsumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarij publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra illud ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 11. Decembris M.DC.XXIV. Pontificatus Nostri Anno secundo.

V. Theatinus.

Anno Millesimo sexcentesimo vigesimo quarto, Indictione septima, Pontificatus Sanctissimi D. N. D. Urbani divina Providentia Papæ Octavi, ann. 2. die verò decimosexto mensis Decembris, retroscriptæ litteræ Apostolicæ affixæ, lectæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicarum Sancti Ioannis Lateran. Principis Apostolorum de Urbe, ac Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, per nos Alexandrum de Rochis, & Fabium Æmilianum, Sanctiss. D. Papæ Curs.

Brandimartes Latinus pro Mag. DD. Curs.

Romæ ex Typographia Rev. Cameræ Apost.
M. DC. XXIV.

DECRETUM

De Monasteriorum, Conventuum, Domorum Religiosorum cujuscumque, etiam Mendicantium Ordinis erectione.

CUm aliàs fel. rec. Clemens Papa VIII. decreverit, Ordinarios locorum licentiam ad novos Conventus cujuscumque, præsertim Mendicantium Ordinis, in Civitatibus, & locis eorum ordinariæ jurisdictioni subjectis erigendos impartiri non posse, nisi vocatis, & auditis aliorum in eisdem Civitatibus, & locis existentium Conventuum Prioribus, seu Procuratoribus, & aliis interesse habentibus, & causa servatis servandis cognita, in eisdem Civitatibus & locis novos hujusmodi erigendos Conventus sine aliorum detrimento commodè sustentari posse constiterit. Si verò ab eorum sententiis ad Sedem Apostolicam provocari, & appellari contigerit, ipsos Ordinarios tandiu erectionem novorum conventuum suspendere debere quandiu à dicta Sede in ea causa pronunciatum extiterit, ac aliàs prout in decreto hujusmodi pleniùs continetur. Verùm per piæ me. Paulum Papam V. accepto pletosque ex Ordinariis prædictis favore, vel nimia expoſcentium importunitate ad novos Conventus, seu Domos, præter, & contra tenorem prædicti decreti erigendos plerumque adduci, quo fit, ut non habita debita eleemosynarum, seu redditiuum cujuscumque Monasterij, Conventus, seu Domus ratione, Monachi, seu Fratres, aut Religiosi ibi degentes manuteneri nequeant, & ad tam exiguum numerum reducantur, ut cultus divinus in eorum Ecclesiis destituatur, ibique regularis disciplina, ut convenit, conservari non valeat, Sacra Congregatio Illustrissimorum DD. Cardinalium negotiis Regularium præpositorum, ad quos idem Paulus Papa V. negotium hujusmodi recepit, tot incommodis obviam ire, eisque aliquod opportunum remedium adhibere cupiens. Decreti hujusmodi veriores, ac totos tenores, præsentes, ac si de verbo ad verbum insererentur, pro plenè, & sufficienter expressis habens, vivæ vocis oraculo à S. D. N. Gregorio Papa XV. habito, Decretum prædictum, quatenus opus sit, innovat, & in usum reducit. Volens, quod de cætero Monasterium, Conventus, Domus, Congregatio, vel Societas Religiosorum, seu Regularium cujuscumque, etiam Mendicantium Ordinis, Societatis, & instituti, quocumque nomine nuncupentur, etiamsi de illis particularis, expressa, & specifica mentio habenda esset, in quacumque Civitate, vel oppido, & quocumque alio loco non erigantur, nisi in eo saltem duodecim Fratres, aut Monachi, seu Religiosi inhabitare, ac ex redditibus, & ex consuetis eleemosynis sustentari valeant, ac Priores, seu Procuratores aliorum Monasteriorum, Conventuum, seu Domorum aliarum Religionum, vel Congregationum, aut Societatum, seu institutorum hujusmodi, non solùm in prædictis, sed etiam in aliis per quatuor millia passuum circumvicinis locis, ad id vocati, & auditi fuerint, ac tali erectioni consenserint, vel aliàs Ordinariis locorum constiterit, Religiosos Monasterij, Conventus, seu Domus regularis sic erigendi, seu erigendæ, absque detrimento Religiosorum in Monasteriis, seu Domibus antea in Civitatibus, seu locis hujusmodi erectis degentium, ibi in numero duodecim commodè, & congruè manuteneri, & ali posse. Si verò novi Conventus, Domus, Congregatio, vel Societas hujusmodi instituendæ erunt, nullique alij Regulares inibi reperiantur, Ordinarij locorum nihilominus diligenter inquirant, an locorum incolæ, & habitatores, quorum consensum requirant, ac adhibeant, hujusmodi duodecim Religiosos in Conventibus, ut præmittitur instituendis commodè alere, & manutenere valeant. Si verò à Decreto, seu Decretis per Ordinarios prædictos in causis hujusmodi ferendi legitimè appellari contigerit, ex tunc prout ex ea die, qua appellatio interponetur, ea ad eandem Sacram Congregationem unà cum toto negotio principali devoluta censeatur, appellationéque hujusmodi pendente, nihil innovandum esse, irritumque, & inane quicquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scientet, vel ignorantet contigerit attentari decernens, quibuscumque in contrarium facientibus non obstantibus. Romæ 17. Augusti 1627.

Ant. Card. Saulius

Locus ✝ Sigilli.

N. Zambeccarius, Secr.

Romæ ex Typographia Rev. Cameræ Apost.
M. DC. XXII.

DECRETUM.

Quo conceditur, & præscribitur facultas Ordinariis circa accessum Regularium ad Monasteria Monialium, ad colloquendum cum eis.

CUm aliàs de anno 1590 per Sacram Cardinalium negotiis Regularium Præfectorum Congregationem, de mandato fel. rec. Sixti Papæ Quinti circa accessum Regularium cujuscumque Ordinis ad Monialium Monasteria fuerit decretum, quod nulli Religioso, cujuscumque Ordinis, gradus, qualitatis, & dignitatis existat (Superiore, cui Monasterij, seu Domus cura incumbit, Visitatore, vel Visitatoribus, Confessariique ordinario, & extraordinario, cùm ad tempus deputabitur

deputabitur duntaxat exceptis) liceat absque licentia expressâ ejusdem Sacræ Congregationis accedere ad Monasteria, seu Domus quarumcumque Monialium, vel Sororum, sive sui, sive alterius cujusvis Ordinis, ad colloquendum, sive tractandum cum eis. Quòd si aliquando mandato sui Superioris aliquos Religiosos ad prædicandum Verbum Dei, vel ad celebrandas Missas in ipsarum Monialium, Seu Sororum Ecclesiis, sive Oratoriis exterioribus, sive extra Claustra existentibus mitti contigerit, ne dicti Religiosi ullo quæsito colore Moniales, Sorores, aut quamlibet aliam personam intra Clausuram degentes alloqui possint, sub pœnis privationis officiorum, ac vocis activæ,& passivæ ipso facto incurrendis,aliisque ejusdem Sacræ Congregationis arbitrio; fueritque postmodùm declaratum,etiam Equites S. Ioannis Hierosolymitani sub eodem Decreto comprehendi,& quoscumque contrafacientes ab alio, quàm ab Apostolica Sede, aut Sacra Congregatione absolvi, & rehabilitari non posse, Amplissimi ejusdem Sacræ Congregationis Patres Decreta hujusmodi innovanda, & inviolabiliter observanda statuerunt. Verùm quia experientiâ compertum est interdum ob pias, & rationabiles causas, eásque ita ferente casu repentinas, ut ab eadem Sacra Congregatione licentiam expectari summè incommodum, vel inutile sit, Regularibus supradictis colloquendi cum Monialibus sibi attinentibus necessitatem obvenire, facto verbo cum Sanctiss. D. N. Urbano VIII. & de Sanctitatis suæ expresso ordine, & mandato facultatem tribuerunt in posterum locorum Ordinariis, ut quatenus sibi visum fuerit in Domino expedire, licentiam concedere possint per quatuor vices ad summum quolibet anno cuicumque Regulari, ut Moniales sibi in primo, & secundo tantùm consanguinitatis gradu conjunctas convenire, & alloqui possit. Id verò non aliter quàm servata ad unguem forma infrascripta, ut id nullo modo liceat diebus festivis, aut in Adventu, Quadragesima, feria sexta, Sabbato, & vigiliis, prædictaque licentia obtenta ab Ordinario, & ab alio, ad quem spectet eam concedere, consignetur Confessario ordinario Monasterij, qui penes se retinere debeat, isque associet, & præsens sit, & Auscultatrices de more, non autem aliæ, assistant, prædictaque licentia pro die, & hora certa, & in scriptis concedatur, in librisque Cancellariæ ejusdem Ordinarij annotetur. Quòd si prædicti locorum Ordinarij per plures vices, vel in ulteriori gradu conjunctis, aut aliter, quàm servata forma supradicta licentias concesserint, vel permiserint, sciant se intentionis Sanctiss. D. N. & Sacræ Congregationis transgressores, judiciúmque reformident: Regulares autem pœnis in supradicto Decreto contentis, ac si nullam licentiam obtinuissent, eo ipso se noverint esse addictos, & arbitro Sacræ Congregationis severiùs puniendos. Romæ xij. Kal. Decembris M. D C. XXIII.

Oct. Card. Bandinus.

Laur. Campegius, Secret.

Romæ ex Typographia Rev. Camera Apost.
M. DC. XXIII.

S. D. N.

D. URBANI DIVINA providentiâ Papæ VIII.

DECLARATIO.

Quod Capitula Ecclesiarum Cathedralium, quibus S. R. E. Cardinales præsunt, ex Indultis conferendi beneficia Ecclesiastica reservata, vel affecta, eisdem Cardinalibus concessis nullum jus prætendere possint.

SANCTISSIMUS in CHRISTO Pater, & D.N.D.Urbanus divinâ providentiâ Papa VIII. accepto quod S.R.E.Cardinales super Indultis & facultatibus disponendi de beneficiis Ecclesiasticis Sedi Apostol. reservatis & affectis, à Sede prædicta sibi concessis, per Capitula & Canonicos Cathedralium Ecclesiarum, quibus illi ex concessione, & dispensatione Apostol. præsunt, impediuntur, sub prætextu quod ipsi Capitula & Canonici jus nominandi, vel præsentandi, aut aliàs quomodolibet disponendi de beneficiis in mensibus non reservatis protempore vacantibus cum prædictis Cardinalibus locorum Ordinariis conjunctim, vel divisim habentes, tanquam membra capiti adherentia à Cancellariæ Apostolicæ regula mensium reservatoria, à qua Cardinales præservantur, etiam excipi, & facultates atque Indulta, quæ certarum reservationum obstacula tollunt, sibi quoque suffragari debere prætendunt, & attendens privilegium quo Cardinales in prædicta regula præservantur, ejus intuitu Cardinalatus concessum esse, neque rationi consonum fore, ut Capitula & Canonici, dum sui Præsules Cardinalatus honore præfulgent, plus juris in præjudicium Sedis Apostol. seu ipsorum Cardinalium Præsulum jus, & indultum conferendi ab ipsa Sede habentium, obtineant, quàm si ipsi Cardinales non forent. Motu proprio sub die 29. Decembris anni ab Incarnatione Domini 1625. declaravit intentionis, & voluntatis suæ esse,quod Cardinales Præsules de omnibus, & singulis beneficiis Ecclesiasticis quomodolibet nuncupatis, & qualificatis, ad eorum etiam cum alio, vel aliis collationem, provisionem, præsentationem, electionem, seu quamvis aliam similem, vel dissimilem dispositionem ratione Ecclesiarum, quibus ipsi Cardinales præsunt, conjunctim, vel divisim spectantibus,non tamen in libris Cameræ Apostolicæ descriptis, nec ex personis familiarium Suæ Sanctitatis, vel Conclavistarum, aut ratione vacationis apud Sedem prædictam reservatis, vel affectis, quæ omnia Sanctitas sua sibi & successoribus pro tempore existentibus specialiter & expressè reservavit, ad præsens vacantibus, & in futurum vacaturis, soli per seipsos, vel alios ad id deputandos absque Capitulis, & Canonicis, aliisque quamcunque Ordinariam dispositionem eorumdem beneficiorum similiter conjunctim vel divisim cum eisdem Cardinalibus habentibus, dummodo aliàs sub indultis eis concessis comprehendantur, liberè provideant, neque Capitula, aut Canonici hujusmodi privilegio quod Cardinalibus Præsulibus,nullo habito Capitulorum, & Canonicorum respectu concessum esse dignoscitur, gaudere, frui, ac jus aliquod inde prætendere possint. Decernens declarationem prædictam à dicta die 29. Decembris robur obtinere debere, etiamsi nedum publicata fuisset, ac irritum, &c.

Placet, publicetur, & describatur. M.

Lecta

Lecta & publicata fuit supradicta regula in Cancellaria Apostol. anno Incarnationis Dominicæ M.DC. XXXVI. die verò decima mensis Septembris, Pontificatus prælibati Sanctissimi D. N. anno IV.

Marcus Antonius Ascentius, Procustos.

S. D. N.

D. VRBANI DIVINA providentiâ Papæ VIII.

DECLARATIO.

Quod S. R. E. Cardinales Ecclesiarum Præsules indulto conferendi beneficia Ecclesiastica ratione Ecclesiarum, quibus præsunt, vel quarum regimini ultimo loco cesserunt, duntaxat uti possint.

URBANUS PAPA VIII.

MOtu proprio, &c. licèt nullus Episcoporum postquam regimini Ecclesiæ, cui præerit, cesserit, in beneficiorum Ecclesiasticorum dispositione, ratione ejusdem Ecclesiæ sibi antea competenti ingerere se valeat: attamen nonnulli ex vener. Fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus, sub prætextu indultorum Apostolicorum eis pro tempore concessorum, beneficia nedum unius, sed etiam plurium Ecclesiarum, quarum regimini cesserunt, vel à quarum vinculo ad alias translati, absoluti reperiuntur, contemplatione aliàs ad se spectantia conferre perseverant. Quare Motu simili, &c. declaramus de cætero non licere cuivis personæ, etiamsi Cardinalatûs honore præfulgeat, prætextu cujusvis Indulti Apostolici concessi, seu concedendi, facultatem hujusmodi etiam expressè continentis conferre, vel quovis modo disponere de quibusvis beneficiis Ecclesiasticis, quorum collatio, præsentatio, nominatio, vel quævis alia dispositio separatim, vel conjunctim cum aliis ad eum spectabat ratione cujuscumque Ecclesiæ Cathedralis, etiam Metropolitanæ, Primatialis, vel Patriarchalis, cujus regimini cesserit, siquidem ad aliam Episcopalem, Primatialem, vel Patriarchalem Ecclesiam translatus, vel postmodum assumptus fuerit, sed indulto tantum ratione Ecclesiæ, cui actu præsit, vel cujus regiminis ultimo loco cesserit, sibi concesso uti posse, & debere, ac irritum, &c. Ostiensi & Veliternensi invicem perpetuò unitis, & Portuen. ac Sabinen. necnon Tusculan. & Prænestin. ac Albanen. Ecclesiis duntaxat exceptis, quoad quas Cardinalibus illarum pro tempore Præsulibus facultate disponendi de beneficiis hujusmodi, etiam unà cum indulto sibi ratione aliarum Ecclesiarum, quibus actu præsunt, vel antea novissimè præfuerint, ut præfertur, frui licere decernimus; statuentes præsentibus, etiam absque eo quod registrentur, aut illis data apponatur, solam Signaturam nostram sufficere, & ubique in judicio, & extra, regula contraria non obstante, fidem facere. Ac insuper illas in Cancellaria Apostol. describi debere, & deinceps omnes, & singulos Cardinales, etiam absentes, præsentes, & futuros, & alios quoscumque, quorum interest, vel interesse poterit quomodolibet in futurum, afficere, & ligare, nullumque earum ignorantiam prætendere posse, non secus ac si ei intimatæ forent, statuto, & ordinatione, decreto, & declaratione per Nos in crastinum assumptionis nostræ ad Summi Apostolatus apicem editis, quod Cardinales in Constitutionibus, & regulis per Nos post priorum nostrarum Constitutionum, & regularum editionem, & publicationem inposterum faciendis non includantur, nisi illæ eorundem Cardinalium favorem concernant, vel ipsæ edendæ Constitutiones de illorum, seu majoris partis eorum consilio editæ fuerint, necnon prædictis, & quibuscumque aliis regulis, constitutionibus, & Ordinationibus Apostol. cæterisque contrariis quibuscumque nequaquam obstantibus.

Placet Motu proprio, publicetur, & describatur. M.

Lecta & publicata fuit supradicta Constitutio in Cancellaria Apost. anno Incarnationis Dominicæ 1626. die verò decima mensis Septembr. Pontificatus prælibati Sanctissimi D. N. anno IV.

Marcus Antonius Ascentius, Procustos.

Romæ ex Typographia Rev. Cameræ Apost. M. DC. XXVI.

S. D. N.

D. URBANI DIVINA providentia Papæ VIII.

Confirmatio, & innovatio Regulæ Cancellariæ, Decreti Cameræ Apostolicæ, & Constitutionum fel. rec. Iulij III. quoad fructus Beneficiorum Ecclesiasticorum inexactos.

Vrbanus Papa VIII. ad perpetuam rei memoriam.

AETERNUS rerum conditor, cujus judicia abyssus multa, sacrosanctum Apostolicæ servituris officium Nobis ad hoc licèt immeritis demandare voluit, ut speculatores Domus Israël, quæ est Ecclesia sua sancta, ab eo constituti, inter cæteras ejusdem servitutis curas, boni Patrisfamilias exemplo provideamus, ut non modò Ecclesiarum omnium, & personarum eis in divinis deservientium indemnitati jugiter consulatur, verùm etiam Cameræ nostræ Apostolicæ jura sarta, tectaque omni solicitudine præserventur, & unicuique quod suum est, æqua lance tribuatur: ea verò Nobis, ut sublatis impedimentis quibuslibet, faciliùs succedere valeant, Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum constitutiones desuper editas, & libenter innovamus, & si quæ super illis, ac etiam à Nobis ea de re emanatis regulis, sive litteris Apostolicis dubia oriri noscuntur, opportunæ declarationis ministerio removemus, ut etiam hac ratione nostram eidem Ecclesiæ sanctæ operam, quantùm Nobis ex Alto conceditur, non inutilem faciamus. Aliàs siquidem per regulas Cancellariæ Apostolicæ per Nos in crastinum assumptionis nostræ ad Summi Apostolatus apicem editas, omnia, & singula, facultates, & indulta in ea parte, in qua necdum verè, & realiter suum erant sortita effectum, per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostras ad favorem quarumcumque personarum concessa, quibus eis, vel eorum singulis ullo modo, & ex quavis causa, vel prætextu permittebatur fructus certos, vel incertos, jura, obventiones, & emolumenta quæcumque quorumlibet beneficiorum per eos obtentorum anticipatis solutionibus ultra unum annum elocare, & arrendare, ac ad firmam, vel annuam responsionem concedere, seu eos, & ea ad favorem quarumcunque personarum obligare, vel hypothecare, in solutum dare, aut de eis quomodolibet, & ex quavis causa disponere pro tempore ad vitam beneficiatorum, & ad tempus, quo beneficia hujusmodi obtinuissent, minimè

minimè restricta, nec coarctata, inter alia revocavimus, cassavimus, ac deinde per nostras sub plumbo, sub datum Romæ apud S.Mariam Majorem,anno Incarnationis Dominicæ M.DC.XXIV.xj.Kal.Novembris,Pontificatus nostri anno ij.expeditas litteras, licèt post generalem gratiarum, & indultorum in præjudicium Cameræ, & Sedis Apostolicæ per eosdem prædecessores nostros quomodolibet concessorum revocationem facultates testandi,& ab intestato succedendi quibusvis etiam per Nos concessas exceperimus;nihilominus mentis, & intentionis nostræ fuisse,& esse declaravimus, prædictæ Regulæ Cancellariæ super revocatione indultorum superviventiæ, ut præfertur per Nos editæ,nullatenus per easdem litteras nostras præjudicare;quinimò eandem regulam quoad omnia in illa comprehensa,ac omnes,& quascumque personas quavis dignitate, etiam Cardinalatûs fulgeant,confirmavimus,& quatenus opus esset,innovavimus,& extendimus,ac aliàs prout in dictis litteris, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, pleniùs continetur. Cùm autem, sicut accepimus,pro interesse successorum in beneficiis Ecclesiasticis,& seu respectivè Cameræ nostræ à nonnullis in dubium revocato, an regula nostra prædicta facultates ab eisdem prædecessoribus nostris quomodolibet concessas, & emanatas testandi, quoad Ecclesiarum, & beneficiorum fructus inexactos, revocaret; in eadem plena Camera nostra Apostolica sub die 23.Ianvarij 1625. resolutum fuerit,facultates testandi, in ea parte,in qua conceditur facultas disponendi de fructibus non exactis,per prædictam regulam nostram esse revocatas, & super resolutione hujusmodi decretum Camerale emanaverit, ejusdem decreti observantia, & executione etiam subsecutis,& pariter ex eo, quod in facultatibus testandi, & de bonis disponendi, ac ab intestato succedendi per Nos ab inde circa concessis,expressa constitutionum etiam declaratoriarum fel. rec. Iulij Papæ III. etiam prædecessoris nostri super fructibus inexactis aliàs in favorem Ecclesiarum, & beneficiorum,ac in eis successorum,& respectivè Cameræ nostræ Apostolicæ editarum derogatio,cum diversis, & prægnantibus clausulis,etiam derogatoriarum derogatoriis apposita fuit, à nonnullis prætendatur, regulæ, & constitutioni nostris hujusmodi, resolutionique,& Decreto Cameralibus prædictis sufficienter derogatum, ac proinde successoribus in beneficiis, & Ecclesiis, & respectivè Cameræ prædictis, quoad fructus inexactos hujusmodi præjudicium illatum fuisse: Nos omnem in præmissis dubitandi, seu hæsitandi materiam è medio tollere,necnon Ecclesiarum,& beneficiorum,in eisque successorum, ac etiam respectivè Cameræ prædictorum indemnitati consulere volentes, & quarumcunque litterarum Apostolicarum,tam in forma Brevis, quàm sub plumbo super facultatibus testandi,disponendi, & ab intestato succedendi,& aliàs quomodolibet expeditarum, ac quarumcunque aliarum concessionum, & gratiarum desuper quomodolibet factarum veriores,& totos tenores,necnon alia quæcumque, etiam hîc forsan de necessitate exprimenda,præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis,& ad verbum insertis habentes, Motu proprio,& ex certa scientia,ac matura deliberatione nostris, déque Apostolicæ potestatis plenitudine hac nostra perpetuò valitura constitutione easdem nostras Cancellariæ Apostolicæ regulam,& constitutionem,prædictamque resolutionem Cameralem, ac decretum desuper emanatum hujusmodi, necnon ipsas dicti Iulij prædecessoris Constitutiones in favorem Ecclesiarum, & beneficiorum, in eisque successorum, ac Cameræ Apostolicæ respectivè super fructibus inexactis hujusmodi editas, & de iis quomodolibet disponentes, tenore præsentium perpetuò approbamus,& confirmamus, illasque & earum quamlibet quoad fructus inexactos hujusmodi in favorem Ecclesiarum,& beneficiorum, in eisque successorum, & respectivè Cameræ nostræ Apostolicæ prædictæ innovamus. Insuper motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus declaramus, & in verbo Rom.Pontificis attestamur, mentis, & intentionis nostræ nunquam fuisse, nec esse, minusque de cætero fore, per quamcunque concessionem,indultum, seu facultatem testandi, & disponendi, ac ab intestato succedendi, vel transmittendi,etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, ac etiam consistorialiter, & per modum indulti,seu legis generalis, vel aliàs quomodolibet à Nobis emanatam, & pro tempore emanandam, prædictis regulæ, & constitutioni nostris, necnon resolutioni,& decreto Cameralibus, illorumque observantiæ,minusque Constitutionibus dicti Iulij prædecessoris hujusmodi,quoad dictos fructus inexactos,etiamsi afflictus, & emolumenta quæcumque inexacta hujusmodi deberentur ratione fructuum recollectorum,& in horreo reconditorum, ac etiam consumptorum, derogare, nec aliquod eis præjudicium ullo modo inferre, quinimò easdem nostras regulam, & constitutionem,decretumque,& resolutionem Cameræ prædictæ, ac dicti Iulij Prædecessoris Constitutiones per Nos, ut præfertur, approbatas, confirmatas, & respectivè innovatas de cætero perpetuis futuris temporibus, quoad fructus quarumcunque Ecclesiarum, & Beneficiorum quomodolibet qualificatorum, & quocumque nomine nuncupatorum inexactos hujusmodi, inviolabiliter observari, nec omnimodæ executioni demandari debere, etiamsi in prædictis indultis, licentiis, seu facultatibus testandi, vel aliàs quomodolibet disponendi, & ab intestato transmittendi, vel succedendi, hactenus etiam per Nos concessis, & de cætero etiam per successores nostros Romanos Pontifices, etiam motu, scientia,& potestatis plenitudine similibus, vel aliàs quomodolibet concedendis, clausula prædictæ regulæ nostræ revocatoriæ præservativa, sive quodvis aliud Decretum sub quacumque verborum formâ, & expressione conceptum, de eadem regula præservativa apposita, & appositum respectivè non fuerit. Omnes verò,& singulas licentias,indulta,& facultates testandi, & aliàs quomodolibet disponendi, vel ab intestato transmittendi,& succedendi, tam à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, & à Nobis hactenus quomodolibet concessas, & emanatas, quàm in futurum etiam à successoribus nostris prædictis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concedendas, & emanandas in favorem quarumcunque personarum, etiam speciali, & individua mentione, & expressione dignarum, cujuscumque qualitatis, status, gradus, & conditionis sint, vel fuerint,& quacumque dignitate, etiam Cardinalatûs fulgeant,censendas, habendas, & intelligendas esse, censerique, haberi, & intelligi debere, perinde ac si in eis, & quacumque illarum parte apposita esset clausula omnium & singulorum jurium prædictorum dictæ Cameræ Apostolicæ, ac respectivè Ecclesiarum & beneficiorum, in eisque successorum præservativa, verbis infra scriptis, sive æquipollentibus concepta, videlicet (salvis semper, & in suo robore permanentibus prædictis regula, & Constitutionibus, resolutioneque & decreto Camerali super ipsius regulæ declaratione, die xiij. Ianvarij M. DC. XXV. emanatis, quibus omnibus nullo modo intendimus derogare.) Præterea etiam decernimus nunquam de cætero in quibuscunque concessionibus, & dispositionibus, indultis, facultatibus, & gratiis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus,etiam quorum tenores,&c. & quascunque clausulas etiam derogatoriarum derogatorias habentibus, ac etiam per viam legis, vel indulti generalis, etiam consisto

consistorialiter, & aliàs quomodolibet sub quibuscunque tenoribus, & formis per Nos, & quoscunque successores nostros hujusmodi concedendis, seu à Nobis, vel illis emanandis nunquam præmissis omnibus, & singulis censeri in aliquo præjudicatum, nec derogatum, nisi in eorum quolibet fuerit expressè, & dispositivè, non autem per clausulas generales idem importantes, & seu eventualiter præsenti nostræ constitutioni derogatum. Præsentes verò litteras, omniaque, & singula in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod in præmissis, seu eorum aliquo interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes eis nullatenus consenserint, nec ad ea vocati, & auditi, minusque causæ propter quas eædem præsentes emanarint, adductæ, verificatæ, seu alias justificatæ fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, nullitatis, seu invaliditatis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quopiam defectu, etiam quantumvis magno, inexcogitato, & substantiali, sive etiam ex eo, quod in facultatibus testandi, ac aliàs de rebus, & bonis disponendi, quibusvis etiam S.R.E. Cardinalibus à Sede Apostolica, vel aliàs quomodolibet ex quacumque causa, etiam favorabili, publica, & pia, etiam ratione consanguinitatis, vel affinitatis inter concedentem, & privilegiatum existentis, ac aliàs quovis modo etiam consistorialiter concessis caveatur expressè, quod illis uti intuitu, & in remunerationem laborum, & onerum quorumcunque, vel ratione legationum, aliorumque officiorum, etiam Romanæ Curiæ, & dignitatum quarumlibet, etiam speciali nota, & expressione dignarum, ac aliàs ex titulo & causa merè onerosis, & aliàs quovis modo attributis, nullatenus, vel nonnisi sub certis modo & forma tunc expressis derogari valeat, ac in præmissis, seu eorum aliquo solemnitates, & quævis alia servanda, & adimplenda, servata, & adimpleta non fuerint, aut ex quovis alio capite à jure, vel facto, seu statuto, & consuetudine aliqua resultante, seu etiam enormis, enormissimæ & totalis læsionis, etiam quoad quoscumque ipsorum privilegiatorum creditores, etiam quantumlibet privilegiatos, aut quocumque alio colore & titulo, etiam in corpore juris clauso, seu occasione, vel causa, etiam quantumvis justa, rationabili, & privilegiata, etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessariò exprimenda foret, aut quod de voluntate nostra hujusmodi, ac aliis superiùs expressis, seu relatis nihil ullibi appareret, seu aliter probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, apertionis oris, reductionis ad viam, & terminos juris, aut aliud quodcumque juris, gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari, seu etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus concedi, aut sic impetrato, vel concesso quempiam uti, seu se juvare in judicio, vel extra posse, neque ipsas præsentes sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet faciendis comprehendi, sed semper ab illis exceptas, perpetuoque validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac per omnes, & singulos, ad quos spectat, & quomodolibet spectabit in futurum, inviolabiliter observari. Sicque, & non aliter in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, ac Cameratium, & Thesaurarium Cameræ, necnon Præsidentes Clericos Cameræ nostræ Apostolicæ in quavis causa, & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate & auctoritate, judicari, & diffiniri debere, irritumque, & inane quicquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostra de jure quæsito non tollendo, aliisque Cancellariæ Apostolicæ regulis, necnon quibusvis Constitutionibus, & ordinationibus etiam Apostolicis, ac juramento, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, usibus, stylis, & consuetudinibus, etiam immemorialibus, necnon litteris facultatum testandi, aliasque de rebus, & bonis disponendi per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac etiam Nos quibusvis personis, etiam S. R. E. Cardinalibus, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, etiam in remunerationem laborum, & damnorum passorum, ac ratione officiorum, & dignitatum, necnon ex titulo, & causa merè onerosis, & aliàs cum quibusvis efficacioribus clausulis, & decretis, privilegiis quoque, indultis, aliisque litteris Apostolicis in contrarium, ut præmittitur, & aliàs quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro sufficienti eorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si specificè, & sigillatim expressi, & inserti forent, præsentibus pro plenè & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, ad effectum omnium & singulorum præmissorum specialiter & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Ut autem præsentium litterarum notitia ad omnes deveniat, volumus quod illæ, sive earum exempla ad valvas Basilicarum Sancti Ioannis Lateran. ac Principis Apostolorum de Urbe, & in acie Campi Floræ affixæ, seu affixa omnes ita arctent, & afficiant perinde, ac si unicuique personaliter intimatæ, vel intimata fuissent, quodque earundem præsentium transsumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarij publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio & extra adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die v. Aprilis M. DC. XXVIII. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

M. A Maraldus.

Anno à Nativitate Domini nostri Iesu Christi *millesimo sexcentesimo vigesimo octavo, Indictione undecima, die verò decima mensis Iunij, Pontificatus Sanctissimi in* Christo *Patris, & D. N. D. Vrbani Divina providentia Papæ Octavi, anno ejus Quinto, supradictæ litteræ Apostolicæ, seu Constitutiones affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicarum S. Ioannis Lateranensis, & Principis Apostolorum de urbe, ac in Acie Campi Floræ, dimissis ibidem præsentibus litteris per aliquantulum temporis spatium affixis, & deinde amotis, & postea earundem exempla etiam impressa, & affixa, ut moris est, per nos Franciscum Pignoccatum, & Camillum Fundatum, Sanctiss. D. N. Papæ Cursores.*

Brandimartes Latinus pro D. Mag. DD. Cursorum.

Romæ ex Typographia Rev. Cameræ Apost.
M. DC. XXVIII.

ADHUC ALIÆ SVMMORVM PONTIFICUM CONSTITUTIONES.

CUM præter superiores quamplurimæ aliæ citarentur Constitutiones, nefas esset illas hîc tacite præterire, quin potius, quotquot in hoc Opere advocantur, dare per extensum libuit, ne quid desideretur, inchoando scilicet à Pio II. usque ad Urbanum VIII. ut patet, trangressis iis, quæ jam suprà excusæ, hîc uno verbo sunt notatæ.

Contra Clericos ad sacros Ordines malè promotos.

CONSTITUTIO I.

Part. 2. Alleg. 6. 8. & 20.

PIUS *Episcopus, servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.*

CUM ex sacrorum Ordinum collatione character invisibilis animæ imprimatur, sacra mysteria dispensentur, & ipsarum cura tribuatur animarum, in eorum susceptione excessus graves tantò magis plectendi sunt, quantò ex illis majora in mentibus Fidelium scandala generantur. Cùm itaque (sicut dignorum relatione nonnisi molestè accepimus) nonnulli Clerici extra tempora à jure statuta, quidam ante ætatem legitimam, aliqui verò sine dimissoriis litteris contra sanctiones Canonicas se faciant ad sacros Ordines promoveri: Nos eorundem temeritatem tali castigatione reprimentes, ut aliis in posterum committendi similia aditus præcludatur, auctoritate Apostol. hac Constitutione perpetuò valitura statuimus, & ordinamus, quod omnes & singuli, qui absque dipensatione Canonica, aut legitima, sive extra tempora à jure statuta, sive ante ætatem legitimam, vel absque dimissoriis litteris, etiam Citramontanis (præterquam si in hoc ultimo casu per Cameram Apostol. juxta illius stylum ordinati fuerint, & ad aliquem ex sacris Ordinibus se fecerint promoveri) à suorum Ordinum executione ipso jure suspensi sint, & si hujusmodi suspensione durante eisdem Ordinibus ministrare præsumpserint, eo ipso irregularitatem incurrant. Præterea ultra alias pœnas in tales generaliter à jure inflictas, beneficiis Ecclesiasticis possint jure privari. Volumus autem quod præsens nostra Constitutio in Romana Curia existentes post quindecim dies, absentes verò Jtalos post duos menses, alios verò Ultramontanos post sex menses ab ipsius in audientia Contradictarum, & Cancellaria Apost. publicatione, & affixione ligare incipiat. Nulli ergo, &c. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno ab Incarnatione Dominica 1461. quinto decimo Kalend. Decembris, Pontificatus nostri anno 4.

Super forma juramenti professionis Fidei.

II.

Part. 3. Allegat. 61.

PIUS *Episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.*

INjunctum nobis Apostolicæ servitutis officium requirit, ut ea quæ Dominus omnipotens ad providam Ecclesiæ suæ directionem, sanctis Patribus in nomine suo congregatis divinitùs inspirare dignatus est, ad ejus laudem & gloriam incunctanter exequi properem. Cùm itaque juxta Concilij Tridentini dispositionem, omnes quos deinceps Cathedralibus, & superioribus Ecclesiis præfici, vel quibus de illarum Dignitatibus, Canonicatibus, & aliis quibuscumque beneficiis Ecclesiasticis curam animarum habentibus provideri continget, publicam orthodoxæ Fidei professionem facere, seque in Rom. Ecclesiæ obedientia permansuros spondere, & jurare teneantur: Nos volentes, etiam per quoscumque, quibus de Monasteriis, Conventibus, domibus, & aliis quibuscumque locis Regularium quorumcunque Ordinum, etiam Militarium, quocumque nomine, vel titulo providebitur, idem servari, & ad hoc ut unius ejusdem fidei professio uniformiter ab omnibus exhibeatur, unicáque, & certa illius forma cunctis innotescat, nostræ sollicitudinis partes in hoc alicui minimè desiderari, formam ipsam præsentibus annotatam publicari, & ubique gentium per eos, ad quos ex decretis ipsius Concilij, & alios prædictos spectat, recipi & observari, ac sub pœnis per Concilium ipsum in contravenientes latis, juxta hanc, & non aliam formam, professionem prædictam solemniter fieri, auctoritate Apostolica tenore præsentium districtè præcipiendo mandamus hujusmodi sub tenore.

Ego N. firma fide credo, & profiteor omnia, & singula, quæ continentur in Symbolo Fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet: CREDO in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cœli, & terræ, visibilium omnium & invisibilium, & in unum Dominum IESUM Christum, Filium Dei unigenitum;

tum; & ex Patre natum ante omnia sæcula: Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero; genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt: qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis: & incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine, & homo factus est: Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, & sepultus est: & resurrexit tertia die secundum scripturas; & ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris: & iterum venturus est cum gloria judicare vivos & mortuos, cujus regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum Dominum & vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit, qui cum Patre & Filio simul adoratur, & conglorificatur; qui locutus est per Prophetas. Et unam sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam: Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum: & expecto resurrectionem mortuorum, & vitam venturi sæculi. Amen.

Apostolicas & Ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiæ observationes, & constitutiones firmissimè admitto, & amplector. Item sacram Scripturam juxta eum sensum quem tenuit, & tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, & interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto; nec eam unquam, nisi juxta unanimem consensum Patrum, accipiam & interpretabor. Profiteor quoque septem esse verè & propriè Sacramenta novæ legis, à Iesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licèt non omnia singulis necessaria; scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium; illaque gratiam conferre, & ex his Baptismum, Confirmationem, & Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio, & admitto. Omnia & singula, quæ de peccato originali, & de Iustificatione in sacrosancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerint, amplector & recipio. Profiteor pariter, in Missa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium sacrificium pro vivis & defunctis; atque in sanctissimo Eucharistiæ sacramento esse verè, realiter, & substantialiter corpus & sanguinem, unà cum anima & divinitate Domini nostri Iesu Christi; fierique conversionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia Transsubstantionem appellat. Fateor etiam sub altera tantùm specie totum, atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi. Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari. Similiter & Sanctos, unà cum Christo regnantes, venerandos, atque invocandos esse; eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas. Firmissimè assero, imagines Christi, ac Deiparæ semper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas, & retinendas esse, atque eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem à Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maximè salutarem esse affirmo. Sanctam Catholicam & Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum matrem & magistram agnosco; Romanoque Pontifici, beati Petri Apostolorum Principis successori, ac Iesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo, ac juro. Cætera item omnia à sacris Canonibus, & OEcumenicis Conciliis, ac præcipuè à sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata indubitanter recipio, atque profiteor; simulque contraria omnia, atque hæreses quascumque ab Ecclesia damnatas & rejectas, & anathematizatas, ego pariter damno, rejicio, & anathematizo. Hanc veram Catholicam Fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor, & veraciter teneo, eandem integram, & inviolatam usque ad extremum vitæ spiritum, constantissimè (Deo adjuvante) retinere & confiteri, atque à meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum Ego idem N. spondeo, voveo, ac juro. Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.

Aug. Barbos. Formul. Episc.

Volumus autem, quod præsentes literæ in Cancellaria nostra Apostolica de more legantur, & ut omnibus faciliùs pateant, in ejus quinterno describantur, ac etiam imprimantur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ voluntatis & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraïre. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ M.D.LXIV. Idibus Novembr. Pontificatus nostri anno quinto.

Fed. Card. Cæsius.

Cæs. Glorierius.

Quod gratiæ de non residendo, & percipiendo fructus ratione studij, non valeant sine consensu Ordinarij.

III.

Part. 3. Allegat. 53.

SAnctissimus in Christo Pater & Dominus noster, Dominus Pius divina providentia Papa IV. ad cujus aures nuper pervenit, nonnullos curata, vel aliàs sacros Ordines, aut personalem residentiam requirentia Beneficia obtinentes, sub prætextu quod litteris operam dare cupiebant, post confirmationem Concilij Tridentini per Sanctitatem suam factam, & publicatam, secum ut literarum studio in loco, ubi illud vigeat generale, actu insistendo, ratione Beneficiorum per eos obtentorum hujusmodi, usque ad quinquennium, vel aliud tempus tunc expressum, dummodo infra primum illius annum Subdiaconi fierent, ad reliquos Ordines promoveri minimè tenerentur; tam iidem interim, quàm alij, etiam ad eosdem Ordines, vel eorum aliquem, seu aliquos promoti, quod similiter studentes, beneficiis per eos obtentis, per vicarios idoneos, per locorum Ordinarios, etiam congrua fructuum Beneficiorum hujusmodi portione illis assignata, vel aliàs deputandos, in divinis deserviendo, animarum curam illis imminentem exercendo, & alia incumbentia onera supportando, usque ad simile tempus personaliter in eisdem Beneficiis residere non tenerentur: & nihilominus interea omnes eorundem Beneficiorum fructus percipere possent, per ordinariam Sanctitatis suæ Signaturam, seu Pœnitentiariæ suæ officium dispensati, sibique pariter indulgeri obtinuerunt: nullum in his vel fraudi, vel circumventioni locum, præsertim quoad absentes à Romana Curia, de quorum qualitatibus facilis notitia haberi non potest, quantum humana ratione provideri potest, relinquere volens, Concilij etiam Tridentini decretis inhærendo, hujusmodi dispensationes, & indulta hactenus concessa, ac tam ipsius Pœnitentiariæ, quàm Apostolicas, & aliàs desuper confectas & conficiendas litteras, processusque habitos & habendos per easdem dictis absentibus nullatenus suffragari, nisi singulorum Ordinariorum locorum, in quibus singula Beneficia hujusmodi consistunt, consensus gratis præstandus ad id

accedat, Apostolica auctoritate declaravit, decernens irritum, &c.

Placet, publicetur, & describatur. I.

Lecta & publicata fuit suprascripta Regula Romæ in Cancellaria Apostolica, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo quarto, die verò Veneris vigesimaquarta mensis Novembris, Pontificatus præfati S. D. N. Papæ anno quinto.

A. Lomellinus Custos.

Super residentia Prælatorum, & aliorum curam animarum habentium, & residere debentium.

IV.

Part. 3. Allegat. 53.

PIUS *Episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.*

IN suprema militantis Ecclesiæ specula, meritis licèt insufficientibus, divina dispositione constituti, cunctos non solum vigilantiæ nostræ commissos Dominicos greges, sed etiam singulorum Pastorum suorum actus intensa nostræ mentis acie collustrantes, studium efficax, operamque sedulam ad hoc omninò statuimus adhibere: ut quemadmodum operosum sacri Concilij Tridentini progressum, felicemque exitum, Domino cooperante, præstitimus, ita sanctissima illius decreta, ipsorum præsertim, qui in Apostolicæ solicitudinis partem vocati sunt, Pastorum officium concernentia, non tepidè, neque dissimulanter exequamur. Sanè licèt in Concilio præfato saluberrima fuerit ordinatione decretum, quod omnes & singuli venerabiles Fratres nostri, Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, & Episcopi, & alij Beneficiati apud Ecclesias sponsas suas residere teneantur: nonnulli tamen (quod non sine animi nostri mœrore referimus) adeo sui, gregumque, quos olim deperditos Salvator noster proprio sanguine redimere dignatus est, sibi creditorum obliti sunt, ut etiam nunc in alma Urbe, aut alibi commorantes, & sacrosancta spiritualis matrimonij inter eos, suasque Ecclesias solemniter contracti jura confundentes, sponsas suas in longa quasi viduitate relictas, ac prædictas Ecclesias quomodocumque sibi concessas invisere, & apud illas, ut probos & providos patres familias decet, residere non curent, in perditionem animarum suarum, & subditorum suorum, ac perniciosum exemplum & scandalum plurimorum. Nos hanc illorum contumaciam alicujus, etiam temporalis pœnæ metu frangendam, seu convincendam esse censentes, Motu proprio, & ex certa scientia nostra, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, omnibus & singulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis præfatis, ac aliis quibuscumque, etiam quavis auctoritate, dignitate, gradu, vel præeminentia præfulgentibus, prædictas Ecclesias in commendam, vel administrationem, aut alio quovis nomine obtinentibus, & aliis quibuscumque Beneficiatis curam animarum habentibus, qui juxta decreti super residentia in Concilio prædicto promulgati tenorem, personalem in suis Ecclesiis residentiam facere tenentur, in virtute sanctæ obedientiæ, & ultra pœnas in dicto decreto Concilij contentas, etiam sub privationis eorum à regimine, & administratione Ecclesiarum suarum, ac aliis nostro, & pro tempore existentibus Romanis Pontificibus successoribus nostris arbitrio imponendis pœnis, districtè præcipiendo per Apostolica scripta mandamus, quatenus omni mora cessante, in eisdem suis Ecclesiis, juxta formam, & tenorem dicti Concilij, personaliter resideant. Et nihilominus, si quos mandato nostro hujusmodi (quod absit) non parêre contigerit, ne etiam tales absentes melioris in hac parte conditionis, quàm cæteris in suis Ecclesiis residentes existant, hac nostra perpetuò valitura sanctione per præsentes statuimus, & ordinamus, quod deinceps omnia, & singula mobilia, & immobilia, etiam in Urbe, vel ejus districtu existentia, & se moventia, res & bona, jura & actiones, cujuscumque qualitatis, quantitatis & valoris, ac ubicumque locorum consistant, ad Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos, & alios quoscunque, etiam quavis auctoritate, dignitate, gradu, & præeminentia præfulgentes, Ecclesias prædictas in titulum, vel commendam, sive administrationem, aut alio quovis nomine obtinentes, & alios quoscumque Beneficiatos curam animarum habentes, qui extra prædictas Ecclesias, & diœceses, etiam in Romana Curia, aut alibi degentes, & juxta decretum, & formam Concilij hujusmodi non residentes decesserint, pertinentia, & per illos suarum Ecclesiarum, ac quorumcunque Monasteriorum, Prioratuum, Præposituarum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum, cum cura, & sine cura, sæcularium, & Regularium, quæ illis quomodolibet obtinuerint, ac fructuum, redditiuum, proventuum Ecclesiasticorum, necnon pensionum annuarum sibi super similibus fructibus, redditibus, & proventibus reservatarum, & assignatarum, occasione quæsita, etiamsi facultatem specialem de illis, aut eorum parte testandi, & aliàs liberè disponendi, à nobis, & quibusvis aliis Romanis Pontificibus prædecessoribus, & successoribus nostris, etiam cum clausulis, quod facultates hujusmodi revocari nequeant, aliisque irritantibus decretis obtinuerint, & in vim illarum litteratum desuper confectarum de rebus & bonis hujusmodi jam disposuerint, tanquam spolia ad Cameram Apostolicam legitimè pertineant, liceatque dilectis filiis moderno, & pro tempore existenti Commissario nostro generali, & suis, dictæque Cameræ deputatis, in eventum decessus hujusmodi, solitum inventarium super rebus, & bonis præfatis conficere, illaque prout de reliquis Clericorum spoliis fieri solet, ad dilecti filij nostri moderni, & pro tempore existentis generalis Thesaurarij manus redigere, dictæque Cameræ applicare, cujusvis licentia desuper minimè requisita. Ac facultates, & desuper confectas litteras prædictas, etiam Motu & scientia similibus, etiam in recompensam laborum, & obsequiorum, etiam nobis & Ecclesiæ Romanæ, dictæque Sedi impensorum quomodolibet concessas, & etiam iteratis vicibus approbatas, illorum omnium tenores præsentibus pro sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, in eventum obitus hujusmodi, etiamsi in Urbe, aut ejus districtu, vel alibi extra suas Ecclesias, ut præfertur, contigerit, ex nunc, prout ex tunc, & è contra, in dictæ contumaciæ pœnam, ejusdem potestatis plenitudine, & tenore revocamus, cassamus, & annullamus: ac tam ea, quàm earum prætextu quomodolibet pro tempore condita, factaque testamenta, codicillos, legata, donationes, & alias dispositiones quaslibet, etiam ad pias causas, vel in remunerationem servitiorum, nulla & invalida, nulliusque roboris, vel momenti fore, & neque quidpiam contra præsentium tenorem suffragari; Et sic per quoscumque Iudices, & Commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam S. R. E. Cardinales, in quavis instantia, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, judicari, & definiri debere: ac quidquid secus à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter attentari contigerit, irritum & inane decernimus. Per hoc autem nostris,

nostris, & Romanorum Pontificum prædecessorum ordinationibus, reservationibus, & decretis, quoad Prælatorum, & aliorum Beneficiatorum, etiam in suis Ecclesiis, aut diœcesibus residentium, & ibi decedentium, quæ etiam ampliamus & extendimus ad habentes Ecclesias in Vrbis districtu, ibique residentes & decedentes, spolia Cameræ Apostolicæ applicata hactenus emanatis, nullatenus præjudicare, neque quidquam in eis alterare intendimus, sed ea in suo robore, ut ante, manere volumus, præterquam quoad eos, qui in suis Ecclesiis juxta formam prædicti Concilij resederint, & specialem licentiam testandi habuerint: hanc enim tantùm salvam eis esse volumus, ita ut generalis licentia testandi eis, quanquam residentibus, minimè suffragetur, sed sola speciali, si quam habuerint, tueri se possint. Cæterùm ut præceptum, mandatum, statutum, ordinatio, revocatio, cessatio, decretum, & alia præmissa, præsentesque litteræ ad eorum, quorum interest, notitiam deducantur, nullusque possit aliquam illorum ignorantiam prætendere, vel excusationem allegare, sed illa perpetuò firma, & illibata permaneant, volumus & mandamus, quod eædem præsentes in Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, & Cancellariæ nostræ valvis, ac in acie Campi Floræ per aliquem ex Cursoribus nostris affixæ, copia illarum ibi dimissa, ab ea die omnes perinde arctent, ac si illis personaliter intimatæ fuissent. Non obstantibus præmissis, ac in favorem Curialium per fel. rec. Sixtum Quartum, Leonem Decimum, Iulium Tertium, & quoscumque alios Rom. Pontifices prædecessores nostros, ac etiam per nos editis & approbatis; necnon aliis litteris, constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri præcepti, mandati, statuti, ordinationis, revocationis, cessationis, annullationis, decreti, ampliationis, extensionis, intentionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraïre. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimoquarto, septimo Kalend. Decembr. Pontificatus nostri anno quinto.

Cæs. Glorierius.

Visa de Curia D. de Deciso.

H. Cumyn.

De residentia vide *Bul.* 5. 17. & 64.

Super executione Concilij, & litterarum D. Pij IV. contra Archiepiscopos, & Episcopos, & Prælatos, & alias personas Ecclesiasticas non residentes in eorum Ecclesiis.

V.

Part. 3. Allegat. 53.

PIVS PAPA IV.

MOtu proprio, &c. Cum tam per sacrosanctum œcumenicum Concilium Tridentinum, quàm etiam per nostras litteras, sive Bullas, etiam desuper emanatas, & inter alias sub Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MDLXIV. septimo Kalend. Decembris, Pontificatus nostri anno quinto, mandatum sit omnibus Episcopis, Archipiscopis, & aliis quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro eis sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium exemplo pascere, pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, eisque assistere, & in cætera munia pastoralia diligenter incumbere, aliáque facere, quæ in dicto sacro Concilio, & in dictis nostris litteris, sive Bullis continentur. Quæ omnia nequaquam ab eis præstari, & adimpleri possunt, quum gregibus suis non invigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more oves suas deserunt: & propterea debuissent, & deberent omnes & singuli Episcopi, Archiepiscopi, & alij in dignitatibus Ecclesiasticis constituti, & præfecti, quibus animarum cura existit, juxta divina præcepta, & prædicti œcumenici Concilij, ac prædictarum nostrarum litterarum, seu Bullarum vim, formam, continentiam, & tenorem, ad eorum respectivè Ecclesias, diœceses, ac alia beneficia, quibus personalis residentia requiritur, ad effectum in eis personalem residentiam faciendi, sese contulisse, ac omnia & singula in eisdem præceptis, Concilio, & litteris, sive Bullis respectivè contenta adimplevisse, & servasse: attamen, sicut accepimus, multi, & multi præfatorum præceptorum, & mandatorum contemptores, animarumque suarum, ac propriæ salutis immemores, in dictis dignitatibus Ecclesiasticis, quibus cura animarum imminet, ac Episcopalibus, & Archiepiscopalibus respectivè constituti, præmissa facere, & adimplere hactenus minimè curarunt, sed distulerunt, & differunt in grave animarum suarum, gregumque sibi commissorum periculum & ovium suarum perniciosum exemplum & scandalum, sententias, censuras, & pœnas propterea sibi inflictas temerè & damnabiliter incorrendo. Quæ omnia cùm non sint conniventibus oculis, aut impunè prætermittenda, sed graviter corripienda, ut cæteris transeant in exemplum; cum jam per tot menses inobedientes fuerint, censuras præfatas sustinendo: Motu proprio, & ex certa nostra scientia, deque potestatis nostræ plenitudine, dilecto filio nostro Alexandro Riario Cameræ Apostolicæ generali Auditori, cui aliàs etiam, seu prædecessori suo vivæ vocis oraculo commisimus, ut dictos Episcopos, Archiepiscopos, & alias personas Ecclesiasticas animarum curam habentes, non residentes, pœnas præfatas in dicto Concilio, & litteris, sive Bullis nostris contentas incurrisse declaret, & ad illarum effectualem executionem, aliáque graviora procederet, vivæ vocis oraculo commisimus tantùm; quique nonnulla monitoria contra certos Episcopos, & alias personas in vim commissionis nostræ hujusmodi sibi factæ, tunc decreverat & relaxaverat, ne in posterum de illius jurisdictione dubitari contingat, denuo eidem Auditori nostro nunc officium Auditoriatûs exercenti, auctoritate nostra committimus, & mandamus, quatenus statim contra Episcopos, Archiepiscopos, & alios quoscumque Prælatos, tam in Vrbe, quàm alibi, & ubique locorum existentes, & in propriis diœcesibus non residentes, constito sibi quantum sufficere videbitur, summariè, simpliciter, & de plano, sola veritate inspecta, & manu regia, de inobedientia prædicta, usque ad sententiam exclusivè procedat, & deinde nobis referat, ut nos in Consistorio nostro secreto de Fratrum nostrorum consilio, ut moris est, ad sententiam privationis, & depositionis Prælatorum inobedientium hujusmodi procedere valeamus, prout procedere intendimus: quo verò ad alios curam animarum habentes, usque ad sententiam inclusivè procedat, & exequatur, juxta formam & tenorem dicti Conilij, & litterarum nostrarum prædictarum, cum eisdem facultatibus, ut supra, ac alia faciat & exequatur, prout in dictis litteris, sive Bullis continetur, cum potestate citandi, inhibendi, excommunicandi, suspendendi à

divinis,declarandi,interdicendi,aggravandi, reaggravandi,carcerandi, & brachium sæculare decernendi, relaxandi, & exequendi, aliaque faciendi necessaria quomodolibet & opportuna: contrariis quibuscumque non obstantibus, & quod præsentis nostri Motus proprij sola signatura sufficiat, ac ubique fidem faciat in judicio, & extra: regula contraria, & aliis quibuscumque, quibus omnibus expressè derogamus, non obstantibus.

Placet Motu proprio, I.

Præsentetur. B. Amerin. Regens.

Publicatus fuit die xj. mensis Maij MDLXV. Pontificatus ejus anno sexto.

Revocatio privilegiorum, exemptionum, immunitatum,facultatum, conservatoriarum, indultorum, Confessionalium, Maris magni, & aliarum quarumcunque similium gratiarum, quibuscumque locis, & personis concessarum, in his, in quibus statutis, & decretis sacri Concilij Tridentini contrariantur.

VI.

PIVS *Episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.*

IN Principis Apostolorum Sede, meritis licèt imparibus, divina dispositione constituti, nihil neque universali Ecclesiæ, curæ & sollicitudini nostræ commissæ salubrius, neque injuncto nobis Apostolicæ servitutis officio decentius præstare possumus, quàm quod providentiæ nostræ ministerio œcumenicum Concil. Tridentinum, sicut nostris potissimùm auspiciis, summaque sanctorum Patrum concordia per Dei misericordiam feliciter absolutum fuit; ita per universos, qui Christiana pietate censentur, ubique suscipiatur, & remotis quibuslibet obstaculis, ab omnibus æqualiter observetur. Cùm itaque in eodem Concilio quamplura salubria, & ad universalem morum reformationem valde utilia decreta, atque statuta, maturo præsentium ipsorum examine præcedente sint edita, quibus multa, atque diversa privilegia,exemptiones,immunitates, dispensationes,facultates,conservatoriæ, indulta, & ut vocant,Confessionalia, & Mare magnum, & aliæ gratiæ,quæ variis, tam Cathedralibus, etiam Metropolitanis, quàm Collegiatis Ecclesiis,Monasteriis,Conventibus, & aliis Religiosis, etiam Fratrum Mendicantium domibus & Ordinibus, necnon sancti Spiritus in Saxia, Sancti Ioannis Lateranensis,ac Incurabilium de Vrbe, sancti Antonij Viennensis, & sancti Bernardi Iuren.aliisque Hospitalibus, Militiis,eorumque Capitulis & Conventibus, ac Vniversitatibus, etiam studiorum generalium Collegiis, tam sæcularibus,quàm Ecclesiasticis,Confraternitatibus, Societatibus,& tam Principis Apostolorum de Vrbe, quàm aliis fabricis sanctæ Cruciatæ, aliisque piis locis & operibus,necnon Patriarchis,Archiepiscopis, Episcopis,Prælatis,Abbatibus,Abbatissis,Prioribus, Præpositis, & aliis Ecclesiasticis, tam sæcularibus, quàm diversorum Ordinum & Militiarum regularibus, ac etiam laïcis cujuscumque dignitatis, & status,ac gradus & excellentiæ,ac etiam Ducali, Regia, & Imperiali dignitate fulgentibus utriusque sexus personis, necnon aliquibus Notariis,& etiam de latere Legatis, atque Nuntiis, tam perpetuò, quàm ad tempus, per plures Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac Nos, Sedem Apostolicam, ejusque Legatos hactenus,etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, seu etiam Imperatorum,Regum, Ducum, & aliorum Principum contemplatione, & intuitu, etiam de Fratrum consilio, diversimodè, variisque temporibus, in genere, vel specie, ex quavis etiam honesta causa concessa, & etiam pluries confirmata & innovata fuerunt, in plerisque contrariantur. Nos, quibus in primis cordi est,tam sancta, & Ecclesiæ Dei saluberrima decreta, ut par est, effectus ubique consequi, & ab omnibus, obedienter observari, privilegiorum, exemptionum, immunitatum,facultatum, conservatoriarum, indultorum, Confessionalium, Maris magni, & aliarum gratiarum prædictarum, ac quarumcunque Apostolicarum, & aliarum litterarum desuper confectarum, processuúmque,decretorum, & aliorum inde secutorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis, & plenè insertis habentes: Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, quod eadem omnia & singula privilegia, exemptiones, immunitates, facultates, dispensationes, conservatoriæ, indulta, Confessionalia, Mare magnum, & aliæ gratiæ, in his omnibus & singulis, in quibus illa statutis, & decretis Concilij hujusmodi contrariantur, ipso jure revocata, cassata, & annullata, ac ad ipsius Concilij terminos, atque limites reducta sint, & esse censeantur, nec quidquam adversus ipsa decreta, & statuta, quominus ubique, & apud omnes observentur, in aliquo suffragari posse, sed ea perinde haberi & reputari debere,ac si nunquam emanassent, auctoritate Apostolica tenore præsentium declaramus, ac etiam statuimus & ordinamus. Decernentes nihilominus, omnia & singula, quæ vigore privilegiorum, exemptionum, immunitatum, & dispensationum, facultatum, conservatoriarum, indultorum, Confessionalium, & aliarum quarumcunque gratiarum hujusmodi post id tempus, quo Concilium obligare cœpit, facta & gesta quomodolibet fuerunt, & in posterum fient, in his, in quibus dicti Concilij decretis adversantur, nulla, invalida, & irrita esse, & censeri, ac nemini, etiam quantumlibet, ut præfertur, qualificato, tam in foro (quod aiunt) fori,quàm conscientiæ suffragari posse, & debere. Et ita per quoscumque locorum Ordinarios, aliosque judices & Commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam S.R.E.Cardinales, sublata eis, &c. Non obstantibus præmissis, &c. Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

Datum Romæ apud S.Petrum,anno Incarnationis Dominicæ MDLXV. tertiodecimo Kalend. Martij, Pontificatus nostri anno sexto.

P. Episcopus Natnien.

Cæs. Glorierius.

H. Cumyn.

Pius V. edidit constitutionem, quæ habetur in Bullario num. 38. incipit, Etsi Mendicantium Ordines, xvij.Kal.Septemb. MDLXVII. Pontificatus sui secundo,in qua iterum confirmavit eadem privilegia Ordinibus Mendicantium,& alia de novo concessit, extendendo ea ad alios Ordines Regularium, ac declaravit Concilium Tridentinum ubi de iis loquitur. Quæ constitutio postea revocata fuit à Gregorio XIII. & reducta ad terminos Iuris communis,& Concilij Tridentini. Eam habes infrà,incipit: In tanta.

Super

Super clausura, & reformatione Monialium cujuscumque Ordinis.

VII.

Part. 3. Alleg. 102.

PIVS *Episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.*

CIrca pastoralis officij nobis, meritis licèt imparibus, desuper commissi curam (quantum nobis ex Alto permittitur) invigilantes, assiduè ad ea, per quæ singulis erroribus & excessibus obviatur, ac personis quibuslibet, præsertim fœminei sexus, virginitatem suam Altissimo voventibus, sub Religionis jugo Christo Salvatori in castitatis holocausto famulari affectantibus, à semita justitiæ, & honestatis declinantibus, ne quidquam in eis reperiatur incongruum, quod in Regularis ponat honestatis gloria maculam, & divinam meritò possit offendere Majestatem, opportunè succurritur, libenter intendimus, ac in his nostræ vigilantiæ partes propensiùs impartimur, prout id in Domino salubriter expedire conspicimus. Hac igitur perpetuò valitura constitutione, inhærentes, etiam constitutioni fel. rec. Bonifacij Papæ VIII. prædecessoris nostri, quæ incipit Periculoso, & decretis Concilij Tridentini super clausura Monialium editis, auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus, atque perpetuò decernimus, universas & singulas Moniales præsentes, atque futuras, cujuscumque Religionis, Ordinis, vel Militiarum, etiam Hierosolymit. sint, quæ vel jam receptæ sunt, vel in posterum in quibusvis Monasteriis, sive domibus recipientur, & tacitè, vel expressè Religionem professæ, etiamsi Conversæ, aut quocumque alio nomine appellentur, etiamsi ex institutis, vel fundationibus earum Regulæ ad clausuram non teneantur, nec unquam in earum monasteriis, seu domibus, etiam ab immemorabili tempore ea servata fuerit, sub perpetua in suis Monasteriis, seu domibus de cætero debere permanere clausura, juxta formam dictæ constitutionis fel. rec. Bonifacij Papæ VIII. prædecessoris nostri, quæ incipit, Periculoso, in sacro Concilio Tridentino approbatæ, & innovatæ, quam nos auctoritate præfata etiam approbamus & innovamus in omnibus, & per omnia, ac illam districtè observari mandamus. Quod si aliquæ Moniales forsitan reperiantur, quæ consuetudine etiam immemorabili, aut instituto, vel fundatione Regulæ suæ fretæ, animo obstinato huic clausuræ resistant, quoquo modo reluctentur, Ordinarij unà cum Superioribus earum, omnibus juris & facti remediis compellant easdem tanquam rebelles, & incorrigibiles ad præcisè subeundam dictam clausuram, & perpetuò observandam. Mulieres quoque, quæ Tertiariæ, seu de Pœnitentia dicuntur, cujuscumque fuerint Ordinis, in Congregatione viventes, si & ipsæ professæ fuerint, ita ut solemne votum emiserint, ad clausuram præcisè, ut præmittitur, & ipsæ teneantur. Quod si votum solemne non emiserint. Ordinarij unà cum Superioribus earum hortentur, & iis persuadere studeant, ut illud emittant, & post emissionem, & professionem eidem clausuræ se subjiciant: quod si recusaverint, & aliquæ ex eis inventæ fuerint scandalosè vivere, severissimè puniantur. Cæteris autem omnibus sic absque emissione professionis, & clausura vivere omnino volentibus interdicimus, & perpetuò prohibemus, ne in futurum ullam aliam prorsus in suum Ordinem, Religionem, Congregationémve recipiant. Quod si contra hujusmodi hanc nostram prohibitionem, & decretum aliquas receperint, eas ad sic vivendum omnino inhabiles reddimus, ac illarum quaslibet professiones, & receptiones irritas decernimus, & nullas, prout etiam præsenti decreto irritas facimus, & annullamus. Porrò ne Moniales, vel Tertiariæ prædictæ propter hanc clausuram detrimentum, aut incommodum aliquod in earum necessitatibus, maximè in pertinentibus ad illarum victum patiantur, sed ut eis opportunè consulatur, auctoritate Apostolica præfata statuimus, decernimus, atque mandamus Ordinariis, & Superioribus earum, ut curent colligi fidelium eleemosynas per Conversas, quæ non sint professæ, vel si professæ fuerint, sint tamen ætatis annorum quadraginta, & in domibus contiguis, extra tamen Monasterium degant, & non ingrediantur clausuram aliarum Monialium, nisi in casibus ex earum constitutionibus permissis, & de earum domibus exire non possint pro hujusmodi eleemosynis colligendis, nisi de licentia Ordinarij, vel earum Superiorum. Et de cætero nullæ aliæ Conversæ professæ recipi amplius, etiam de consensu suorum Superiorum, vel Prælatorum possint. Quòd si adversus hanc nostram prohibitionem receptæ fuerint, illarum receptio nulla, irrita, & inanis sit, prout ex nunc nullam, ac irritam facimus, & annullamus. Quod si prædicto modo necessitatibus Monialium, & mulierum Tertiariarum prædictarum succurri sufficienter non poterit, mandamus ipsis Ordinariis, & Superioribus earum, ut ipsi provideant de aliis personis piis, & Deo devotis, quæ fidelium eleemosynas colligant, vel aliàs eo meliori & commodiori modo, quo fieri poterit, etiam ex opere manuum ipsarum Monialium, & mulierum prædictarum, arbitrio Ordinariorum, & Superiorum earundem, & prout eis congruentiùs expedire videbitur, provideatur & succurratur. Et ne propter Monialium numerum excessivum clausuræ observatio violetur. Inhærentes etiam similiter dispositioni dictæ constitutionis Bonifacij, & Concilij Tridentini decreto, Monialibus prædictis, & illarum Superioribus, & Ordinariis districtè inhibendo præcipimus & mandamus, ne plures in earum monasteriis recipiant & admittant, sive recipi, & admitti permittant, quàm ex propriis redditibus ipsorum monasteriorum, vel consuetis eleemosynis commodè sustentari possint, Mandantes propterea in virtute sanctæ obedientiæ, sub obtestatione divini judicij, & interminatione maledictionis æternæ universis venerabilibus fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis & Episcopis, quatenus in civitatibus & diœcesibus propriis præsentes nostras litteras publicari faciant, ac in monasteriis Monialium sibi ordinario jure subjectis, in iis verò quæ ad Romanam mediatè, vel immediatè spectant Ecclesiam, Sedis Apostolicæ auctoritate, unà cum Superioribus eorundem monasteriorum, clausuram, ut præmittitur, quamprimùm poterunt, restaurari procurent: contradictores, atque rebelles per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio Brachij sæcularis. Ac ut hoc tam salutare decretum faciliùs observetur, omnes Principes sæculares, & alios Dominos, & Magistratus temporales rogamus, requirimus, & obsecramus per viscera misericordiæ Domini nostri IESV CHRISTI, eisdem in remissionem peccatorum injungentes, quod in præmissis omnibus eisdem Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis, & aliis Monialium Superioribus assistant, ac suum favorem & auxilium præstent, ac impedientes pœnis etiam temporalibus afficiant. Præmissis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, statutis & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, etiam per Sedem Apostolicam approbatis, & confirmatis, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis, etiam in fundatione,

datione, & institutione eisdem Monasteriis, vel domibus, & Monialibus, sub quibuscumque verborum formis, & clausulis irritantibus, & aliis decretis quibuslibet concessis, confirmatis, ac etiam iteratis vicibus approbatis, & innovatis (quibus omnibus, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi ac si de verbo ad verbum insererentur, pro sufficienter expressis habentes, quoad effectum validitatis nostræ constitutionis tantum derogamus) contrariis quibuscumque non obstantibus: aut si aliquibus communiter, vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, aut suspendi non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Per hoc autem in Monasteriis exemptis Ordinarij locorum quoad alia nullam sibi credant jurisdictionem, vel potestatem aliquatenus eis attributam. Volumus autem quod præsentes, &c. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, innovationis, statuti, decreti, mandati, interdicti, prohibitionis, annullationis, præcepti, inhibitionis, requisitionis, obsecrationis, injunctionis, derogationis, declarationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem, &c. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MDLXVI. quarto Kal. Iunij, Pontificatus nostri anno primo.

Cæs. Glorierius.

H. Cumyn.

De clausura vide *Bul.* 21. 30. 32.

Declaratio Regulæ à Pio V. editæ super expressione gradus propinquioris in dispensationibus Matrimonialibus, pro conjunctis in diversis gradibus.

VIII.

Part. 3. Allegat. 35.

SAnctissimus in Christo Pater, & Dominus noster, D. Pius divina providentia Papa V. attendens per quandam constitutionem dudum per fel. rec. Pium Papam IV. Sanctitatis suæ prædecessorem editam, qua cavetur, quod in dispensationibus Matrimonialibus, pro diversis consanguinitatis, seu affinitatis ex eodem stipite provenientibus gradibus conjunctis, non remotioris solum, prout olim fieri solebat, sed etiam propinquioris graduum expressa mentio fieri debeat, alioquin dispensationes, ac desuper confectæ litteræ nullius sint roboris, vel momenti, prout in dicta constitutione pleniùs continetur, à dispositione juris communis, & laudabili ac antiquo Rom. Curiæ stylo nimium recedi, ac favorem matrimonij debitum restringi; volensque propterea juri & stylo prædictis, necnon piæ mem. Gregor. XI. & Clementis VI. Romanorum Pontif. etiam Sanctitatis suæ prædecessorum vestigiis inhærendo, Sacramento & libertati matrimonij, quantum cum Deo potest, favere, statuit & ordinavit, quod de cætero in quibuscumque dispensationibus, quas pro matrimoniis contractis, aut contrahendis inter viros & mulieres invicem diversis prohibitis consanguinitatis, seu affinitatis, aut mixtis ex communi, seu ab eodem stipite surgentibus, quicumque illi sint, dummodo primum quoquo modo non attingant, cùm in eo Sanctitas sua nunquam dispensare intendat, gradibus conjunctos, ab eadem Sanctitate sua, & pro tempore Romano Pontifice, aut Sede Apostolica impetrari, vel aliàs concedi contigerit, ac in litteris, commissionibusque desuper etiam locorum Ordinariis faciendis gradus remotior attendatur, trahatque secum propinquiorem, ac ob id sufficiat remotiorem tantùm gradum exprimere, obtentis tamen postea super propinquiore litteris declaratoriis, juxta Gregorij & Clementis prædec. hujusmodi constitutiones, quas quoad hoc innovavit, & inviolabiliter observari mandavit, dispensationesque, seu dispensandi commissiones, ac desuper confectas litteras, & processus habitos per easdem, dispensatis, seu his, cum quibus dispensari mandatur, propter proximioris gradus hujusmodi non expressionem de subreptionis, vel obreptionis vitio, seu intentionis defectu notari non posse, sed in omnibus & per omnia suffragari, perinde ac si in litteris, seu commissionibus hujusmodi de proximiore, seu utroque gradu specialis, & expressa mentio facta fuisset. Sicque per quoscumque judices & commissarios, etiam S. R. E. Cardinales, sublata eis quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, judicari, & definiri debere, ac quicquid secus super his à quocumque quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter attentari contigerit, irritum & inane decrevit, constitutione Pij prædecessoris hujusmodi, cæterisque contrariis non obstantibus quibuscumque.

Placet, publicetur, & describatur. M.

Lecta & publicata fuit suprascripta Regula Romæ in Cancellaria Apostolica, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimosexto, die verò Martis vigesima mensis Augusti, Pontificatus præfati S. D. N. Pij Papæ Quinti anno primo.

Declaratio super decretis Concilij Tridentini, de cognatione spirituali, & affinitate ex fornicatione, ac matrimoniis desuper contractis, & contrahendis.

IX.

Part. 2. Allegat. 35.

SAnctissimus in Christo Pater, & Dominus noster, Dominus Pius divina providentia Papa V. ad cujus notitiam pervenit, quod cum in decretis sacri Concilij Tridentini certæ tantum personæ enumerentur, inter quas dumtaxat cognatio spiritualis deinceps contrahatur, ab aliquibus revocatur in dubium, an qui ultra personas in dictis decretis enumeratas quoquo modo cognatione spirituali ante confirmationem dicti Concilij conjuncti erant, absque dispensatione Apostolica matrimonium post dictam confirmationem contrahere potuerint, ac hodie & de cætero contrahere possint, cùm ante prædictam confirmationem id facere de jure minimè liceret. Et insuper cùm in eisdem decretis statuatur, affinitatem, quæ ex fornicatione contrahitur, in illis solummodò attendi debere, qui primo, vel secundo affinitatis gradu conjunguntur; ab aliquibus pariter dubitetur, an matrimonia inter personas, quæ ante confirmationem dicti Concilij tertio, vel ulteriori hujusmodi affinitatis gradu conjunctæ erant, post confirmationem ejusdem Concilij absque dispensatione Apostolica contracta, & quæ deinceps contrahi contigerit, dirimi debeant: Sanctitas sua ad tollendum omne dubium, eos qui ante confirmationem prædicti Concilij cognationem spiritualem contraxerunt, dummodo non sint ex personis in dictis decretis enumeratis, & inter

quas

quas tantùm Concilium voluit deinceps contrahi hanc cognationem spiritualem, matrimonij vinculo inter se absque dispensatione aliqua liberè & licitè copulari posse, ac matrimonia, etiam post confirmationem hujusmodi, absque dispensatione Sedis Apostolicæ inter eas jam contracta valere, plenamque roboris firmitatem obtinere. Et similiter matrimonia post confirmationem Concilij absque dispensatione Apostolica secuta, & quæ de cætero sequentur inter personas, quæ ante dictam confirmationem affinitatem (infra tamen secundum gradum ex fornicatione provenientem) contraxerant, propter hujusmodi affinitatem dirimi non debere, sed valida & efficacia existere declaravit: sicque per quoscumque judices & Commissarios, etiam S. R. E. Cardinales, sublata eis quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, judicari & definiri debere, ac quidquid secus super his à quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter attentari contigerit, irritum & inane decrevit.

Placet, publicetur, & describatur. M.

Lecta & publicata fuit suprascripta Regula Romæ in Cancellaria Apostolica, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimosexto, die verò Martis vigesima mensis Augusti, Pontificatus præfati Sanctiss. D. N. D. Pij Papæ Quinti anno primo.

A Lomellinus Custos.

Super declaratione decreti Concilij Tridentini, de Cognatione spirituali, & ejus impedimentis.

X

Part. 2. Alleg. 35.

Pius *Episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.*

CUm illius vicem, licèt minimè suffragantibus meritis, geramus in terris, de cujus vultu prodit judicium, & vident oculi æquitatem, officij nostri debitam prosequimur actionem, si obscuros sacrorum Canonum sensus ita aperire studemus, ut piis Christi fidelium mentibus nulla dubitandi occasio relinquatur. Sanè licèt ex eo, quod in Concilio Tridentino decretum fuerit, cognationem spiritualem inter eos tantùm contrahi, qui suscipiunt baptizatum de baptismo, ac baptizatum ipsum, & illius patrem & matrem, necnon baptizantem & baptizatum, baptizatique patrem & matrem, in reliquis personis, & quæ per antiquos Canones occasione cognationis hujusmodi contrahere prohibebantur, omne impedimentum sublatum esse videtur; adhuc tamen ab aliquibus dubitari accepimus, an saltem impedimentum cognationis spiritualis hujusmodi inter maritum, vel uxorem suscipientis, & baptizatum, necnon inter maritum, vel uxorem suscipientis, & patrem ac matrem baptizati vigeat, propterea quod prohibitum de uno conjuge, de altero etiam prohibitum esse videatur. Nos piarum mentium quieti, & matrimoniorum favori (quantum ex alto nobis permittitur) consulere volentes, à præcisis verbis Concilij minimè discedendum in præmissis esse censuimus. Et propterea nullum amplius impedimentum ratione cognationis hujusmodi subesse decernimus & declaramus, quominus inter dictos maritum, vel uxorem suscipientis, & baptizatum, baptizatique patrem & matrem, & quascumque alias personas, tam ex parte suscipientis, quàm baptizantis & baptizati, in dicto Concilio nominatim non expressas, matrimonium liberè & licitè contrahi possit. Et ita ab omnibus judicari debere mandamus atque statuimus, decernentes irritum & inane, si quid secus à quoquam quacumque dignitate, auctoritate & potestate prædito contigerit judicari. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, aliisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod præsentes litteræ, &c. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ declarationis, decreti, mandati, statuti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MDLXVI. quarto Kal. Decembris, Pontificatus nostri anno secundo.

Cæs. Glorierius.

H. Cumyn.

Declaratur Concilij Tridentini decretum super impedimento affinitatis ex fornicatione provenientis.

XI.

Part. 2. Allegat. 35.

Pius *Episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.*

AD Romanum Pontificem spectat Canonicas sanctiones, quæ expressiorem sensum postulare videntur, re diligenter perspecta ita declarare, & aliàs providere, ut omnis dubietas de piis Christi fidelium mentibus evellatur. Sanè postquam ex eo, quod Tridentina Synodus impedimentum affinitatis ex fornicatione proveniens, per quod non solùm matrimonium contrahi prohibetur, sed etiam postea factum dirimitur, ad eos tantùm restrinxit, qui primo & secundo gradu conjunguntur; in ulterioribus verò gradibus statuit, matrimonium postea factum non dirimi; à pluribus Christi fidelibus, ut accepimus, est dubitatum, an licèt in ulterioribus gradibus hujusmodi matrimonium contractum non dirimatur, adhuc tamen juxta antiquos Canones contrahi prohibeatur. Et propterea nos omnem ambiguitatem tollere, & animarum tranquillitati, ac matrimonij libertati, quantum cum Deo possumus, consulere volentes, declaramus, & Apostolica auctoritate decernimus, nullum hodie impedimentum remanere, quominus in ulterioribus gradibus hujusmodi liberè & licitè matrimonium contrahi possit. Et ita ab omnibus judicari debere mandamus, atque statuimus, decernentes irritum & inane, si quid secus à quoquam quacumque dignitate, auctoritate & potestate prædito contigerit judicari. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, aliisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod præsentes litteræ in Cancellaria nostra Apostolica, & in acie Campi Floræ de more publicentur, & inter constitutiones perpetuò valituras describantur: & quia difficile foret eas ad singula quæque loca deferri, quod earum transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarij subscriptis, ac sigillo alicujus Prælati munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ declarationis, decreti, mandati, statuti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum

rum ejus, se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MDLXVI. quarto Kalend. Decembris, Pontificatus nostri anno primo.

Cæs. Glorierius.

H. Cuuyn.

De veritate exprimenda à Procuratoribus Pœnitentiariæ, &c. in dispensationibus Matrimonialibus, & aliis gratiis Apostolicis, sub pœna falsi.

XII.

Part. 2. Alleg. 35.

PIVS PAPA.

MOtu proprio, &c. Cùm sicut accepimus, nonnulli suæ conscientiæ prodigi, ac propriæ salutis immemores, ut faciliùs à nobis, & Sede Apostolica dispensationes Matrimoniales, & alias gratias & concessiones obtineant, gradus consanguinitatis, vel affinitatis, aut cognationis spiritualis, ac scientiam illorum aliter quàm eis à principio ab ipsis partibus significatum, vel narratum fuerit, exponunt; & si matrimonia hujusmodi adhuc contracta non fuerint, pro contractis narrant, ac aliàs diversimodè veram facti speciem, tam in ipsis dispensationibus Matrimonialibus, quàm pro aliis quibuscumque gratiis & concessionibus obtinendis immutent; ac propterea cum non solùm in impetrationibus hujusmodi falsitas narretur, verùm etiam in partibus plerumque pro verificatione gratiarum hujusmodi veritas immutetur, & falsitas committatur: Nos igitur hujusmodi abusibus & erroribus obviare cupientes, Motu proprio, &c. omnes & singulos Procuratores, tam officij sacræ Pœnitentiariæ, seu Contradictarum, quàm alios quoscumque sollicitatores, & scriptores quos Copistas vocant, qui veritatem facti à narratione, quam ab ipsis partibus habuerunt, quoad substantialia, & qualitates necessariò exprimendas, diversam faciunt, seu quoquo modo invertunt, aut immutant, ac depravant, & per subreptionem & obreptionem gratias à nobis extorquent, pœnam falsi incurrere, & ea puniri omnino debere decernimus & declaramus: Mandantes propterea almæ Vrbis Gubernatori, Cameræ Apostolicæ Auditori, & Vicario, quatenus in præmissis reos & culpabiles repertos, pœna falsi, ut præmittitur, puniant, cum potestate citandi etiam per edictum, &c. aliaque faciendi in præmissis necessaria, seu quomodolibet opportuna. Non obstantibus præmissis constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque: irritum quoque & inane, &c. dicique, &c. judicari & definiri debere, sublata, &c. decernentes. Et quod præsentis Motus proprij, etiam absque Data & registratura, sola signatura sufficiat, & ubique fidem faciat in judicio & extra, regula contraria non obstante; ejusque transumptis, &c. quodque Cameræ & Cancellariæ Apostolicæ, ac Audientiæ causarum Palatij Apostolici valvis, & in acie Campi Floræ, dimissis inibi copiis affixis, omnes ita afficiant & arctent, ac si illis personaliter intimatæ fuissent.

Placet, publicetur, & describatur. M.

Die quinta Decembris M D L X V I. suprascriptæ litteræ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt in locis supradictis, dimissis in eisdem copiis affixis.

Super collatione Parochialium Ecclesiarum.

XIII.

Part. 3. Allegat. 60.

PIus *Episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.*

IN conferendis beneficiis Ecclesiasticis, & præsertim Parochialibus Ecclesiis personis dignis & habilibus, quæ in loco residere, & per seipsas curam exercere valeant, quanta diligentia adhiberi oporteat, Alexandri III. in Lateranensi, & Gregorij X. in Lugdunensi generalibus Conciliis, ac Innocentij similiter III. & aliorum Rom. Pontif. prædecessorum nostrorum ediræ constitutiones testantur. Quod ut diligentius, ac rectius perficiatur, statuit etiam Synodus Tridentina, ut occurrente vacatione Parochialis Ecclesiæ, etiam generaliter, vel specialiter, etiam vigore indulti in favorem S. R. E. Cardinalium, aut aliàs quomodolibet reservatæ, vel affectæ, debeat Episcopus habita notitia vacationis Ecclesiæ, si opus fuerit, idoneum in ea Vicarium cum congrua, ejus arbitrio, fructuum portionis assignatione constituere, qui onera ipsius Ecclesiæ sustineat, donec ei de Rectore provideatur. Et deinde Episcopus, & qui jus patronatus habet, intra decem dies, aut aliud tempus ab Episcopo præscribendum, alienos clericos ad regendam Ecclesiam idoneos, Examinatoribus juxta formam ejusdem Synodi deputatis nominet, nonnisi ab eisdem Examinatoribus per concursum aliorum Examinatorum etiam tanquam magis idoneo ab Episcopo judicato & electo, de Ecclesia provideatur, aliàs provisiones, seu institutiones omnes præter formam prædictam factæ subrepitiæ censeantur. Sed quoniam res humanæ semper in deterius prolabuntur, nisi sit qui eas retineat, ac debitæ executioni demandet; & verendum sit, ne propter constitutionum hujusmodi transgressionem maximi abusus oriantur: Nos, ad quorum notitiam non sine gravi nostra molestia pervenit, nonnullos ex venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopis & Episcopis, occurrente vacatione Parochialium Ecclesiarum, eas nullo, aut minus ritè servato examine, præsertim illo quod per concursum fieri debet ex Concilio Tridentino, vel etiam examine ritè servato, personis minùs dignis, carnalitatis, aut alium humanæ passionis affectum, non rationis judicium sequentes contulisse, & de eis providisse: volentes quantum cum Deo possumus, hujusmodi, ac etiam futuris periculis occurrere, eorundem prædecessorum nostrorum constitutiones præfatas etiam innovando, auctoritate Apostolica tenore præsentium omnes & singulas collationes, provisiones, institutiones, & quasvis dispositiones Parochialium Ecclesiarum ab eisdem Episcopis & Archiepiscopis, ac quibusvis aliis collatoribus, tam ordinariis, quàm delegatis, etiam S. R. E. Cardinalibus, ac Sedis Apostolicæ Legatis, vel Nuntiis, præter & contra formam ab eodem Concilio Tridentino, præsertim in examine per concursum faciendo præscriptam factas, aut in futurum faciendas, nullas, irritas, ac nullius roboris vel momenti fore & esse, nullumque provisis jus, aut titulum, etiam coloratum possidendi præbere; & Parochiales Ecclesias hujusmodi, ut prius ante collationes hujusmodi vacabant, ex nunc vacare statuimus, decernimus, & declaramus, easque omnes pro tempore sic vacantes, nostræ & Sedis Apostolicæ, seu eorum, quibus jus conferendi eas, præterquam Episcopis & Archiepiscopis, qui curam dicti examinis juxta decretum ejusdem Concilij habere debent, competer,

petet, dispositioni reservamus. Insuper ne Parochiales Ecclesiæ diù in suspenso maneant in maximum animarum periculum, quarumcunque Parochialium Ecclesiarum, quarum, dum pro tempore vacant, ad Episcopos, Archiepiscopos, Primates, & Patriarchas, & quosvis alios ordinarios collatores, in mensibus ordinariis collatoribus etiam per nostras regulas assignatis, provisio & collatio spectat & pertinet, de quibus iidem Episcopi & Ordinarij prædicti intra sex mensium spatium à die vacationis earumdem, perfecto examine, juxta formam Concilij Tridentini præfati non providerint, ac illarum etiam, quarum collationes nobis & dictæ Sedi generaliter, vel specialiter, & ex quavis causa reservatæ, seu affectæ existunt, aut aliis ex indulto Sedis Apostolicæ competunt, ad quas occurrente illarum vacatione, Episcopi & Archiepiscopi præfati personas per examen, concursu mutuo habito juxta dicti Concilij Tridentini formam, approbatas, & magis idoneas non elegerint, aut electas nobis, vel successoribus nostris, aut iis ad quos collatio spectabit, pro collatione obtinenda intra quatuor mensium spatium à die illius vacationis non significaverint, necnon Parochialium Ecclesiarum similium, quæ juris patronatus Ecclesiastici, vel aliorum seu clericorum & laïcorum simul fuerint, si præsentatus intra tempus eisdem patronis à Iure præfixum, prævio examine juxta formam dicti Concilij approbatus petatur, institui, institutióque ipsa per duos menses à die præsentationis dilata fuerit, collationem, provisionem, institutionem, ac omnimodam dispositionem nobis & ipsi Sedi, ac personis, indulta hujusmodi conferendi, providendi, seu instituendi obtinentibus respectivè reservamus, data tamen in Parochialibus juris patronatus optione ipsis patronis, ut si institutio ad Ordinarios spectabit, ipsis Ordinariis illam facere negligentibus, & ultra dictos duos menses differentibus, possint pro hujusmodi institutione obtinenda habere recursum ad Metropolitanum, vel viciniorem Ordinarium, aut ad Sedem Apostolicam. Prohibentes etiam eisdem Ordinariis, ne tempus decem dierum eisdem Ordinariis & patronis ab eodem Concilio Tridentino ad nominandum idoneos clericos coram deputatis Examinatoribus præfixum, ultra alios decem dies prorogare audeant, vel præsumant. Districtiùs inhibentes, ne quis præter Romanos Pontifices, aut alios indulta hujusmodi obtinentes, ut præfertur, quacumque sit super hoc auctoritate munitus, de hujusmodi beneficiis sic reservatis (ut præfertur) disponere, vel circa illa etiam per viam permutationis, vel aliàs innovare quoquo modo præsumat. Ut autem non solùm dignis, sed magis idoneis repertis, juxta ejusdem Concilij decretum Parochiales Ecclesiæ conferantur, volumus, & eadem auctoritate decernimus, quòd si Episcopus minùs habilem, posthabitis magis idoneis, elegerit, possint ij qui rejecti fuerint, à mala electione hujusmodi ad Metropolitanum, vel si ipse eligens Metropolitanus, aut exemptus fuerit, ad viciniorem Ordinarium, uti nostrum & Sedis hujusmodi delegatum, aut aliàs ad ipsam Sedem Apostolicam appellare, ac præelectum ad novum examen coram ipso appellationis judice, & ejus examinatoribus provocare, & constito de prioris eligentis irrationabili judicio, eóque revocato, Parochialis magis idoneo per eundem judicem appellationis auctoritate nostra (quatenus collatio ad Episcopum, à quo appellatum fuit, spectaret) conferatur; aliàs eidem magis idoneo per judicem appellationis approbato conferenda remittatur ad eum, ad quem collatio, provisio, vel institutio spectabit. Hæc tamen appellatio interposita interim non impediat, aut suspendat, quominus electio per Ordinarium primo loco facta interim debitæ demandetur executioni, & provisus ab eadem Ecclesia, causâ appellationis hujusmodi pendente non moveatur. Et si quis à sententia per judicem appellationis lata duxerit appellandum, is tunc ad Sedem ipsam Apostolicam appellabit. Si secus in præmissis omnibus & singulis actum, aut attentatum fuerit, irritum decernimus & inane. Volumus autem, quod præsentium transumptis, &c. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ declarationis, statuti, decreti, reservationis, prohibitionis, inhibitionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MDLVI. xv. Kalend. Aprilis, Pontificatus nostri anno secundo.

Cæs. Glorierius.

H. Cumyn.

Declaratio super portione assignanda Vicariis perpetuis Parochialium Cathedralibus, & aliis Ecclesiis, ac piis locis perpetuò unitarum.

XIV.

Part. 3. Allegat. 66.

Pius *Episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.*

AD exequendum Pastoralis officij debitum vigilantibus studiis intendentes, ad ea, per quæ Cathedralium & Collegiatarum, aliarúmve Ecclesiarum, necnon Monasteriorum, Beneficiorum, seu collegiorum, ac aliorum piorum locorum prospero profectui, divinique cultus augmento, & opportunæ, congruæque sustentationi Parochialium Ecclesiarum eisdem unitarum statui feliciter dirigendo, & personarum in illis curam animarum exercentium utilitati recta ratione, & provida moderatione consuli, & salubriter provideri valeat, libenter interponimus nostræ sollicitudinis partes. Hinc est, quod ad nostras aures (quod non sine animi nostri molestia referimus) pervenit, nonnullos ex venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis in deputandis Vicariis, ac assignatione portionum Vicariis perpetuis Parochialium, dictis Ecclesiis, monasteriis, beneficiis, collegiis, vel locis piis perpetuò unitarum, ex Concilio Tridentino facienda ita modum excessisse, ut parum, aut nihil ex fructibus, redditibus & proventibus Parochialium Ecclesiarum sic unitarum Ecclesiis, monasteriis, beneficiis, collegiis, aliisve locis piis remanserit, ob idque multæ ortæ sint super hoc controversiæ circa interpretationem decreti dicti Concilij. Nos ad eas tollendas animum intendentes, consideranresque uniones ipsas ideo à prædecessoribus nostris factas esse, ut ex redditibus & emolumentis Beneficiorum unitorum Ecclesiis, monasteriis, collegiis, beneficiis, & locis piis, quibus illa uniuntur, faciliùs onera eisdem incumbentia supportentur, & promptius à ministris Ecclesiasticis in eisdem divina officia celebrentur, hospitalitas servetur, aliáque charitatis opera exerceantur; ac etiam ut nihilominus cura animarum dictarum Parochialium laudabiliter exerceatur: Motu proprio, & ex certa nostra scientia, auctoritate Apostolica hac nostra perpetuò valitura constitutione statuimus & ordinamus, ac declaramus, quemadmodum etiam de ipsius Concilij mente fuisse collegimus, Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos præfatos in assignatione portionis

tionis ipsis Vicariis perpetuis ex prædicto Concilio ipsorum Prælatorum arbitrio facienda, ita se continere & arbitrari debere, ut non major centum, nec minor quinquaginta scutorum annuorum summa, computatis omnibus etiam incertis emolumentis, & aliis obventionibus communiter percipi solitis, eis omnino assignetur (nisi Vicariis temporariis solitum fuisset plus assignari) sive in quantitate, aut quota fructuum, pecuniaque numerata, fundo, seu alia re stabili portio hujusmodi constituatur, cujuscumque valoris Parochialis Ecclesia unita fuerit; & habita etiam ratione redditnum & onerum loci, cui Parochialis ipsa unita fuerit: ita quod portiones ultra, vel infra dictas summas scutorum centum, & scutorum quinquaginta hactenus assignatæ, vel in posterum forsan assignandæ, quoad excessum & defectum hujusmodi nullius roboris & momenti existant, & ad summas prædictas reductæ & auctæ respectivè censeantur: nisi tamen valor annuus ipsius Parochialis unitæ, habita ratione (ut præfertur) minor sit quinquaginta scutis; quo casu portio assignata, vel assignanda Vicario perpetuo non debeat excedere summam annuam valoris dictæ Parochialis, sed sufficiat quod omnes fructus ejus duntaxat attribuantur ipsi Vicario perpetuo. Et quoniam iniquum esset, eos qui commodis privantur, eadem onera quæ priùs sustinebant, debere sufferre: volumus & statuimus, quod Ecclesiæ, monasteria, collegia, beneficia, & pia loca hujusmodi, in quorum Parochialibus Ecclesiis unitis continget Vicarias prædictas erigi, pro quantitatibus fructuum ipsis Vicariis perpetuis assignatorum, ad solutionem quindenniorum, quam nobis & Cameræ Apostolicæ solvunt, ulterius non teneantur, sed eis detractio fiat ad ratam certorum, quæ de fructibus dictarum Parochialium percipiuntur: ita tamen, quod Vicarij perpetui, qui pro tempore deputabantur, teneantur accipere à Sede Apostolica novam provisionem suæ deputationis, & solvere annatam pro portione fructuum, redditnum & proventuum certorum sibi assignata, & expedire litteras Apostolicas, nec aliàs ad possessionem dictarum Vicariarum perpetuarum, & servitium earundem Parochialium admitti possint, nisi soluta annata, & expeditis litteris Apostolicis novæ provisionis, ut præfertur: alioquin integrum quindennium solvi debere, nec Vicarij prædicti antea tuta conscientia fructus percipere possint. Volumus insuper, & ita mandamus, quod dicti Vicarij perpetui non ad liberam Ordinariorum electionem, sed ad nominationem illorum, in quorum Ecclesiis unitis ponentur, cum ipsorum Ordinariorum, seu eorum Vicariorum, prævio examine, approbatione deputentur. Et si dictæ parochiales unitæ erunt Monasteriis Regularium Mendicantium, possint à Superioribus dictorum Monasteriorum nominari ex ipsis Mendicantibus ij, quos Ordinarij, prævio examine per se, aut eorum Vicarios faciendo, idoneos ad curam animarum exercendam invenerint, & ita pro idoneis approbaverint, teneantur in Vicarios (ad nutum tamen Superiorum suorum amovibiles) deputare. Idemque etiam servetur in regularibus Monachis tantùm, dummodo in ea Parochiali, in qua unus ex eis Monachis fuerit, servata forma prædicta, Vicarius deputatus, habitent cum eo saltem quatuor alij ex dictis Monachis. Sicque per quoscumque judices quavis auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi potestate, judicari & interpretari debere: necnon irritum & inane decernimus quidquid secus à quoquam quavis auctoritate attentatum forsan est hactenus, vel in posterum contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod præsentes litteræ, &c. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ ordinationis, declarationis, statuti, mandati, decreti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem, &c. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MDLXVII. Kalend. Novembris, Pontificatus nostri anno secundo.

Cæs. Glorierius.

H. Cumyn.

Declaratio decreti à Concilio Tridentino editi super impedimento publicæ honestatis, circa Sponsalia & Matrimonia.

XV.

Part. 3. Allegat. 35.

PIUS *Episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.*

AD Romanum spectat Pontificem sua sollicitudine diligenter providere, ut sacrorum Conciliorum decreta ita suæ declarationis adminiculo dilucidentur, quod nulla desuper dubitandi occasio cuiquam relinquatur. Sanè ad aures nostras pervenit, multos esse qui dubitent, an decretum Oecumenici Concilij Tridentini, Sessione vigesimaquarta de reformatione Matrimonij, cap. tertio, quo cavetur, impedimentum publicæ honestatis, ubi sponsalia valida non fuerint, prorsus tolli; ubi verò valida fuerint, non excedere primum gradum, cùm in ulterioribus gradibus non possit hujusmodi prohibitio servari; de sponsalibus per verba (ut aiunt) de futuro tantum conceptis intelligatur, vel etiam matrimonia per verba de præsenti contracta, non tamen consummata, quæ interdum sponsalia appellantur, comprehendat, ita ut etiam eo casu impedimentum inde proveniens sublatum fuerit. Nos itaque, ut omnis difficultas ac dubitatio tollatur, attendentes quod sponsaliorum appellatione, quâ dictum Concilium utitur, nonnisi impropriè matrimonium verbis de præsenti conceptis contractum continetur, quodque agitur de correctione Iuris veteris, quo casu secundùm proprietatem verborum dumtaxat procedendum est, præsertim cum longè majorem rationem prohibitionis in matrimonio per verba de præsenti contracto, quàm in sponsalibus de futuro vigere à nemine dubitetur: idcirco Motu proprio, auctoritate Apostolica, tenore præsentium declaramus, & definimus, decretum Concilij hujusmodi omninò intelligendum esse, & procedere in sponsalibus de futuro duntaxat, non autem in matrimonio sic (ut præfertur) contracto; sed in eo durare adhuc impedimentum in omnibus illis casibus & gradibus, quibus de Iure veteri ante prædictum decretum Concilij introductum erat. Et ita ab omnibus judicari debere mandamus, atque statuimus: non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, aliisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod præsentes litteræ, &c. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ declarationis, definitionis, mandati, statuti & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MDLXVIII. Kalendis Iulij, Pontificatus nostri anno tertio.

Cæs. Glorierius.

H. Cumyn.

Quæ